




ANTIQUITATES ETRUSCAE

A

VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE

ANTONIO FRANCISCO GORIO

FLORENTINAE [illegible]

PROFESSORE CELEBERRIMO

CONSIGNATAE

NUNC VERO

IN COMMODUM ANTIQUITATIS

LITTERARUMQUE CULTORUM

IN

COMPENDIUM

REDACTAE

SCHEMATIBUSQUE MINORI FORMA

[illegible]

ITA QUIDEM UT ET

MONTFAUCONIANI OPERIS

SUPPLEMENTA

HABERI POSSINT,

A

M. NICOLAO SCHWEBELIO

ILLUSTR. CAROL. ONOLD. [illegible]

[illegible]

NEC NON

[illegible] GOETTING. [illegible]

IMPENSIS GEORGII LICHTENSTEGERI

[illegible]

TYPIS [illegible]

ANTIQUITATES ETRUSCAE

A
VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE
ANTONIO FRANCISCO
GORIO
IN
FLORENTINO LYCEO OLIM HISTORIARUM
PROFESSORE CELEBERRIMO
CONCINNATAE;
NUNC VERO
IN COMMODUM ANTIQUITATIS
LITTERARUMQUE CULTORUM
IN

COMPENDIUM

REDACTAE
SCHEMATIBUSQUE MINORI FORMA
EXORNATAE,
ITA QUIDEM UT
MONTFAUCONIANI OPERIS
SUPPLEMENTA
HABERI POSSINT,
A
M. NICOLAO SCHWEBELIO
ILLUSTR. CAROL. ONOLD. P. P. et RECT.
ACADEMIARUM, IMPERIAL. THERES. ROBORET. ELECTOR. BAVAR.
NEC NON
SOCIET. HIST. GOETTING. et IENENS. LAT. COLLEGA.

IMPENSIS GEORGII LICHTENSTEGERI,
CHALCOGRAPHI NORIMB.
TYPIS ARNOLDIANIS, MDCCLXX.

LECTORI B. S.

Quicumque in ueterum monumentis uel mediocriter sunt uersati, non possunt non cognitum habere exploratumque, Etruscorum gentem antiquissimam, inter cultissimas terrarum orbis nationes, cum optimarum artium doctrinarumque studiis; tum rerum praeclare gestarum gloria, mirum quantum floruisse; omnemque, quam late patet, Italiam sub suam potestatem redactam habuisse. Sic Livius v. c. 33. *Tuscorum, ante Romanum imperium, late terra marique opes patuere. Mari supero inferoque, quibus Italia insulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi uocabulo gentis, alterum Adriaticum mare, ab Adria Tuscorum colonia uocauere Italicae gentes.* Quantum litteris floruerint, longum foret et a praesenti loco alienum, si singulis disciplinis et artibus recensendis comprobare uellemus; idque eo magis, quod ipse Etrusci huius Musei auctor, ex uetustissimis in eo allatis monumentis, luculentissimisque priscorum annalium testimoniis id extra omnem posuit dubitationem. *Naturae* inprimis *ac rerum diuinarum* perscrutationi plurimum studii Etruscos impendisse, auctor est *Diodorus Siculus* L. V. 219. *Astronomiae* eosdem peritiam habuisse *Plinius* innuit *Hist. Nat.* L. II. c. 53. *Chronologiae* temporumque rationem eos quoque habuisse, ex eorundem Ritualibus probat *Censorinus de die Nat.* c. v. Vnde probabile omnino uidetur, *Numam*, in constituendo anno, obseruato non Solis, quod Graeci fecerunr, sed Lunae cursu motuque, Etruscorum morem secutum fuisse. Quantum in uniuersum Philosophiae studiis excelluerint Etrusci, exinde colligi potest, quod Pythagoras Italicae philosophiae princeps a *Diogene Laertio*, Aristoxeni aliorumque auctoritate, L. VIII. 1. et Clemente Alexandrino Strom. I. Etruriam dicitur patriam habuisse. Quid? quod Romani *iura* sua *Fecialia* et *duodecim Tabularum*, quas Cicero omnium Philosophorum scriptis praeferre non dubitauit, *Supplementa* ab Etruscis acceperunt, ut *Seruius* docet ad Virg. Aeneid. L. VII. u. 695. In re militari quoque ueteres Tuscos multa, e. g. tubam Tyrrhenam, lictores cum fascibus, sellam curulem ex ebore, togamque purpurae praetextam inuenerunt, summisque exercituum ducibus ad augendam eorum dignitatem addiderunt: quae omnia cum in suam Rempublicam transtulissent Romani, eam ad summam elegantiam maiestatemque prouexerunt, ut auctor est Diodor. Sic. L. V. 219. Vltimam uero gentis Etruscae antiquitatem priscumque apud eamdem litterarum honorem exinde nullo negotio coniicere licet, quod Etruscorum litterae, si Aegyptias et Phoenicias excipiamus, omnium sunt antiquissimae; atque celebratissimae illae *Tabulae Eugubinae*, duabus ferme aetatibus Troiani belli tempora antecessisse existimantur. Quare mirum non est, si eruditorum quidam sibi persuaserunt, Homerum, qui teste Strabone, Etruriam peragrauit, multa ab Etruscis accepta in Iliadem atque Odysseam transtulisse. Quae cum ita sint, quisque, uel nobis non monentibus perspiciet, dignissimam omnino esse Etruscorum gentem, cuius clarissima olim fama ex antiquissimis eorum monumentis renouetur, eiusque memoria obliuione dudum sepulta, e cineribus quasi reuocata ad posteros quoque transmittatur. Laudabilissimum uero hunc laborem in primis suscepit *Gorius* in Florent. Lyceo olim Histor. Prof. celeberrimus, omnisque antiquitatis sollertissimus perscrutator; qui inuestigandis explicandisque Etruriae antiquitatibus non de patria solum, sed de omni re litteraria immortaliter fuit promeritus. Hic enim vir praestantissimus, quamquam Maecenatum auxilio praesidioque destitutus, (quod saeuum et lacrimabile nostrorum temporum fatum iure meritoque conqueritur,) unice iuuandarum bonarum artium desiderio inflammatus, suis sumptibus omnem fere Etruriam perlustrauit, et quae ubique erant inedita Etruscorum monumenta,

inueftigauit, eruditiffimisque notis illuftrata, quadringenta ferme numero, cum erudito orbe communicauit. Primam uero eximii huius Thefauri aperiundi occafionem ei dedit praeclarum Thomae Dempfteri opus de Etruria Regali, quod *Thomas Coke, Anglus*, Senatori *Bonarrotio*, adcuratiffimo antiquitatis indagatori, fuis impenfis publicandum commendauit: quo curante, cum aliis Etruriae monumentis, doctiffimis explicationibus ornatis, in lucem publicam prodiit Florentiae A. 1726. Quinque uero annis ab hac editione praeterlapfis, accidit, ut Volaterris, antiquiffima opulentiffimaque Etruriae urbe, complura Tufcorum fepulcra hypogaea in praediis Petri Francefchinii, Volaterrani inuenirentur. Quo nuncio uix accepto, Gorius Volaterras aduolauit, omniaque oculis ipfe perluftrauit; perluftrata diligenti ac perita artificis, quem comitem habebat, manu delineanda ac poftea aeri incidenda curauit. Hoc thefauro magis magisque excitatus Arretium quoque, Cortonam, Perufiam, Clufium, regiam illam Porfennae fedem, Montem Politianum aliasque fama olim inclutas Etruriae urbes adiit; maximeque infignia, quae ubique reperiebantur, monumenta collegit. Beatus opimis ac praeclaris iftis opibus Florentiam rediit; ibique ditiffimum illud ampliffimumque Mediceum Mufeum, quanta fieri potuit diligentia, excuffit. Ex quibus tandem aliisque eruditorum uirorum fymbolis praeftantiffimum elegantiffimumque Etrufci Mufei opus, plaudente omni Republica litteraria, fuit enatum; in quo inprimis eminet uenerandae antiquitatis λείψανον, *Orthium* carmen lamentabile Etrufcorum antiquiffimorum, ex antigrapho tabulae Eugubinae interpretatione expreffum notisque illuftratum, quod cum reliquis tabulis Eugubinis a Francifco Equite Victorio fe accepiffe, gratiffima mente profitetur praedicatque. Quamquam, iudice *Plinio* initio Hift. Nat. *res ardua eft, uetuftis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obfoletis nitorem, obfcuris lucem, faftiditis gratiam, dubiis fidem*: ipfa tamen inuidia fateatur neceffe eft, elegantiffimum Etrufci Mufei auctorem in plerisque tam feliciter fuiffe uerfatum, ut mirabilem ejus folertiam aequi rerum aeftimatores iufta ac decenti laude adhuc profequantur.

Quibus de cauffis non ingratum fore antiquitatum cultoribus fperamus, quod Lichtenftegerus uir honeftiffimus, artisque imaginum aeri incidendarum peritiffimus, cum de Supplementis Montfauconiano illi operi, quod ante aliquot annos notis fumme reuerendi uiri Io. Salom. Semleri, Doct. Theol. in Regia Fridericiana celeberrimi, illuftratum publicauit, addendis cogitaret, hunc potiffimum Etrufcarum antiquitatum thefaurum, eligere uoluit. Quod confilium cum mihi aperuiffet uir optimus, meque fimul rogaffet, ut fplendidioris illius operis, in compendium redigendi curam operamque fufciperem, ejus conatibus ad commoda ftudiofae iuuentutis amplificanda comparatis deeffe, religioni mihi merito habendum exiftimaui; idque eo magis, quod Graecarum Romanarumque antiquitatum plurimos fcriptores habemus: qui uero Etrufcis monumentis explicandis operam fuam impendere uoluerunt, fi *Dempfterum, Bonarrotium*, et paucos alios excipiamus, nulli fere reperiuntur. Dimiffis igitur, quae fcrupulum mihi mouere poterant, cum hanc operam fufcipere in animum induxiffem, id mihi potiffimum negotii datum credidi, ut omiffis, quae ad res propofitas non pertinere uidebantur, digreffionibus, uel quae aliunde facili negotio haberi poffent, ea folum perfequerer, quae ad Etrufcarum antiquitatum, imaginumque explicationem facere uidebantur: quo facto ftudui obtinere, ut et potiora fplendidioris illius Goriani operis momenta hoc compendium complecteretur; et minoribus fumptibus ab antiquitatum reique litterariae cultoribus poffet comparari. Quod reliquum, aequos lectores rogatos uolumus, ut typothetarum errores, qui forte irrepferint; uel fi ipfi mihi in continua laborum ferie humani quid acciderit, boni confulere haud grauentur. Scrib. Onoldi in illuftri Carolino d. II. Sept. MDCCLXX.

M. *N. Schwebel.*

Mufei

Back of
Foldout
Not Imaged

Antigraphum Etruscae Tabulae Eugubine, ex archetypta desumptum: nunc primum editum, interpretatione et notis donatum.



MVSEI ETRVSCI

CLASSIS PRIMA

DEOS PROPRIOS SELECTOS ET COMMVNES ETRVSCORVM EXHIBENS.

PROOEMIVM.



In ipſo limine quaſi huiusce Theſauri ETRVSCARVM ANTIQVITATVM, operae pretium nos facturos eſſe exiſtimamus, ſi argumentis quibusdam non contemnendis, quibus uero etiam uirorum rei antiquariae peritiſſimorum aſſenſum addere poſſumus, comprobemus, uetuſtiſſima haec omnium, Aegyptiis exceptis, monumenta, Florentiæ in primis in regio Mediceo Cimeliarchio aliisque celebrioribus Etruriæ Muſeis obuia, quae primum nunc in lucem publicam proferuntur, Tuſcorum eſſe artificum, nullique genti, niſi Etruſcae, omni ſuperſtitioni addictiſſimae, adſignanda. Primum id indicat opificij genus. Nam Tuſcorum ſculptura, antiquiſſimis certe illis temporibus, duriuſcula eſt, et in quibusdam partibus aliquantum rigens 1); qualis in Etruſcis hiſce monumentis reperitur; quamquam et uarietate, et ueſtium concinnitate, et quadam uirili quaſi elegantia, cum ipſis Graecorum artificum operibus de palma certare poſſe uideantur. Praeterea in ſingulis fere Deorum Dearumque imaginibus aliquid conſpicitur, quod in aliis eorumdem Numinum iconibus uel apud cultiſſimas nationes non occurrit. Huc referri poſſunt, peculiaris ueſtium cultus, calcei Tyrrheni lunati, nunc clauſi, nunc aperti, loris etiam usque ad ſuras reuincti; ſandalia et crepidae elegantiſſimae; torques, ſtroppi, monilia, inaures, periſcelides, armillae compluribus bullis dependentibus ornatae, cothurni, diademata, tutuli, mitellae, nimbi, corollae myrto lauroue intextae, uel quernae, internitentibus inter folia gemmis, pretioſiſſimae, aliaque perrara capitis ornamenta, quae peculiari ſua ſpecie a reliquarum gentium uſu recedunt. His adde etiam alas, quas fere omnibus Diis Deabusque, tamquam praecipuum cæleſtis præſentiae & Maieſtatis inſigne tribuerunt ad exemplum Phoenicum et Aegyptiorum, qui primi omnis idololatriae, omnisque ritus

A inuen-

1) Quinctil. Inſtitut. Orat. L. XII. C. 10.

inuentores perhibentur: quod inuentum postea Graeci Romanique artifices secuti fuerunt 1). Neque uero illud silentio praetereundum, quod Dii Deaeque ueterum Tuscorum, in uetustissimis certe, et ante Troianum bellum, ut creditur, fabricatis monumentis, (quod in aliis nemo adhuc obseruavit) dextra uel laeua manu globum seu pomum praeferunt; cuius symboli rationem paullo inferius inuestigabimus: ut iam de fulmine inusitatae formae, quod Tusci nouem Diis tribuerunt; 2) et de singulari capillorum cultu atque dispositione non dicamus. Nam caesaries Deorum uel breuis est, uel prolixa, et in fine aequali linea uel tonsa, uel concinna dispositione post humeros reuincta, siue soluta: adeoque interdum crines miro artificio sculpti, atque in fila dispertiti, ut facile numerari possint: quod opificii specimen in aliis non obseruatur. Inter alia uero argumenta, quae monumenta haecce Tuscorum esse probant; illud quoque haud parui momenti est, quod insigniora haec sigilla uel in ipsa Etruria; uel in finitimis urbibus, quas olim Etrusci tenuerunt, inuenta sunt atque effossa; quaedam uero ipsis litteris Etruscis, more Aegyptio, uel in ueste, uel in femore, uel etiam in crure atque in brachiis inscripta sunt; cum quibus uero illa, quae litteris non sunt insignita, mire conueniunt; idemque opificii genus praeferre uidentur. Quare, ut rem paucis absoluamus, in hisce Tuscorum operibus, quae nunc primum in locupletissima hac supellectili exhibentur, semper aliquid uel non usurpatum ab aliis nationibus; uel ob inuentionem curiosam admiratione dignum reperietur; nec facile quisquam de uera eorundem origine poterit dubitare.

IANVS PATER

Tuscorum Deus omnium primus.

His generatim praemissis, ad ipsam Deorum, qui proprii ac peculiares ueterum Etruscorum fuere, progredimur descriptionem, qui quidem primum in his tabulis exhibentur: siquidem Bonarrotius, summus omnis antiquitatis interpres, de Diis tantum Consentibus Tuscorum egit, quos ipsi cum Graecis & Latinis communes habuerunt. Primus igitur ordinem ducat Ianus, Italiae ac potissimum Etruriae *princeps Deus*, uti Donatus in Horatium eum appellat 3). De Iani aeque ac reliquorum Deorum origine, nominibus et cultu in dissertationibus separatim inferius disputabitur.

Tab. I. Corona, qua hic sistitur Ianus, Tab. I. Fig. 1. florem patulum foliis refert; estque eius forma antiquissima, nec apud Graecos, uel Latinos in Deorum simulacris obuia. Originem duxisse uidetur ab Aegyptiis, qui Deorum capita loti flore coronarunt; uti Harpocrates aliaque Numina in mensa Isiaca sculpta, probare possunt 4). Forsan hoc primum illud coronae genus est, quod ipsum Ianum habet inuentorem 5). Aures habet praegrandes, quod superstitiosa antiquitas credidit, ita Deos precantium uota facilius exaudire posse. Qua de caussa etiam *audientes*, ἐπήκοοι cognominati fuerunt; 6) et Lacedaemonii Iouem cum quatuor auribus effinxerunt. Praeterea Ianus manus habet pendulas, non tamen lateribus omnino cohaerentes, more Deorum Aegyptiorum. Tunica amictus est ad talos demissa; pedes lunatis calceis, quos Etrusci inuenere, inducti; collum torque exornatum. Nec uero unica facies quemquam moueat; quippe hanc quoque Iani formam antiqua monumenta probant.

VERTVMNVS

Deus Etruscorum a Volsiniensibus praecipuo honore cultus.

Tab. I. Anno Salutis reparatae CIↃIↃCCXXXV prope Pratum, Etruriae ciuitatem, in loco, qui uulgo dicitur *Pizzirimonte*, una cum pluribus Penatium Deorum et Larium ex aere paruis signis et uotiuis donariis erutum quoque est elegantissimum simulacrum, Tab. I. fig. 4. et 5. quod quamquam uultu

1) Vid. Cuperum in Explic. Tab. Apotheoseos s. consecrat. Homeri p. 169. &c.
2) Plin. Histor. Nat. L. II. C. 52. Demster. monum. Tab. I. et III.
3) Vid. in epist. ultim.
4) Vid. Cuperi Harpocrat. edit. Traj. ad Rhen. A. 1688. 4to.
5) Athenaeus L. V. C. 13. coll. Nic. Leonico de Var. Histor. L. I. C. 71.
6) Homer. Iliad. L. 1. u. 218. coll. Grut. Thes. p. LXXIII. 8. nec non Inscript. ant. Etruriae urbium a Gorio edit. Part. I. p. 81.

uultu ſuo placido ac ſereno Bacchum, laetitiae datorem referre poſſe uideatur: multae tamen rationes ſuadent, ut eum pro Vertumno potius habeamus. Quas enim notas apud Propertium de ſe prodit, mire cum hoc ſigno conueniunt 1). Tuſcis proprium olim hunc fuiſſe Deum atque a Vulſinienſibus, a quibus etiam *Vertumnalia* in eius honorem fuere celebrata, ad Romanos, euocatione forſan facta, translatum, idem Propertius l. c. diſerte declarat. Toga, qua amictus hic cernitur, togam Haruſpicis Etruſci imitatur 2). Diademate reuinctum eſt caput, e quo uero poſt humeros nulli lemniſci dependent, Etruſcorum more. Coma in orbem ita attonſa eſt, ut et ipſa coronae ſpeciem praeferat. Pectus, humerus dexter et brachia nuda ſunt; reliquae corporis partes, ueſte ornatiſſima ſummoque artificio caelata, ut etiam membrorum latentium nuditatem aperiat, amictæ ſunt. Fimbria togae radiis undique eſt coronata. Dei pedes, qui Tyrrhenis crepidis et quidem ornatioribus induti ſunt, plumbeae baſi inſiſtunt: circa baſin additum eſt glutinum inſtar ferri duriſſimum, forte ne alio euocari poſſet 3). Qui plura de Vertumno cupit, adeat doctiſſimum Laurentium Begerum Tom. III. Theſaur. ſel. Elect. Brandenburg. p. 289.

POMONA

Dea, uxor Vertumni a Tuſcis culta.

Corona, qua Deae caput redimitur, Tab. I. Fig. 6. myrtea eſt, uel potius foliacea 4), nullis lemniſcis dependentibus; utpote qui, creſcente luxu, coronis demum acceſſerunt, et quidem aurei 5). In medio eiusdem coronae in fronte congeſta in orbem uiſuntur quaedam poma; et ipſa Dea manu dextra pomum tenet. Praeterea pulcherrimis inauribus eſt ornata, et palla, quam ſiniſtra manu tenet, in ſinus tam uenuſtos elegantesque eſt concinnata, ut pulchrius exemplum in tota antiquitate haud reperiatur. Pedes calceis, uel crepidis Tyrrhenis, et quidem lunatis ſunt ornatiſſimi, quarum ſub planta catenae innexae ſunt, quibus forte eam deuinxerunt, ne uel ab impia manu dimoueri; uel ipſa ab hoſtibus euocata excedere poſſet. Ejusmodi euocationis formulam legere licet apud Macrobium. 6) Hanc Tuſcorum ante Deam, quam etiam *Patronam* ueteres dixere, 7) una cum eiusdem uiro Vertumno et Latini populi et Romani poſtea religioſe coluerunt, ipſique *Flaminem Pomonalem* conſtituerunt 8). Tab. I.

NORTIA

Tuſcorum Dea, ſumma religione a Volſinienſibus et Volaterranis culta.

In numero Deorum, quos Volſinienſes coluerunt, teſte Tertulliano, 9) fuit etiam *Dea Nortia*, quae, ut Liuius ſcribit, praenobile apud eos templum habuit, arasque ipſius nomine ac diuinis appellationibus inſignes. 10) Quae fuerit Dea, ſub judice lis eſt. Quidam Nortiae nomine *Sortem*; alii *Nemeſin*; alii denique *Tychen* ſeu fortunam innui arbitrantur 11). Vnde etiam in marmore apud Fabrettum 12) et Reineſium 13) MAGNA DEA NORTIA appellatur; eo quod Fortunae, ut ait Cicero 14), magna uis eſt in utramque partem; uel ad res ſecundas, uel aduerſas. Ipſum uero hoc ſimulacrum Tab. I. Fig. 7. ut creditur, Deae Nortiae, marmoreum eſt, uetuſtiſſimum, litteris Etruſcis inſcriptum, capite Tab. I.

1) L. IV. El. 2.
2) Vid. Demſter. Oper. Tab. XL. et Muſei Florentt. Tab. III. Tab. LXXXI. De toga, eiusque origine et uſu, uid. praeter alios Bonarrotius in uaſa uitrea coemeter. p. 158. ſqu. et in Explicationibus et Conject. ad monument. Etruſc. addita operi Demſteriano §. XXXIII. p. 56. 57.
3) Vid. Prudentius de ſimulacro Romae u. 230. et Arnobius aduerſus gentes L. VI.
4) De hoc genere coronarum uid. Paſchal. de Corom. L. I. C. 13.
5) Plin. L. XXI. C. 3.
6) Saturnal. L. III. C. 9. Pauſan. L. III. et Diodor. Sic. L. XVII. Curtius L. IV. C. 3.
7) Varro de Lingu. Lat. L. VI.
8) Vid. Feſtum p. 234.
9) In Apologet. Cap. XXIV.
10) L. VII. uide etiam Feſtum et Iuuenalem Sat. X. u. 74.
11) De Nupt. Philolog. Cap. IX.
12) Inſcript. domeſt. Cap. X. p. 742. num. 507.
13) Claſſ. I. num. CXXXI.
14) L. II. de officiis.

te uero et ex parte pedibus, iniuria temporis, truncatum. Puellum sustinet fasciis inuolutum, qui an sit Iupiter, ut Praenestini Fortunae signum cum Ioue puero fecerunt, quod describit Cicero; 1) an Plutus diuitiarum Deus, quem ueteres Fortunae aliquando in manus dederunt, ut auctor est *Pausanias*, 2) pro certo affirmari non potest.

ANCHARIA

Dea Etruscorum, a Faesulanis et Asculanis culta.

Tab. I. Ancharia Dea fuit Faesulanorum, uti ex ara quadam antiquissima; 3) ipsoque hoc simulacro, quod exhibetur Tab. I. Fig. 9. Faesulis reperto, colligere licet: nec minus uero Asculanorum, id quod cum arae ac statuae ipsi dedicatae; tum fanum in eius honorem exstructum, quod ab eadem Dea Ancharia adhuc Ancharanum uel Ancaranum dicitur, comprobare possunt. Anchariam autem hanc Deam ideo appellatam censet doctissimus Turnebus, 4) quod furorem immittere credebatur iis, quos suo Numine adflabat; eiusque cultores *Ancharios* seu Ancarios, quasi furiosos dictos: quemadmodum *Bellonarii* uocantur *Bellonae* furore correpti. Signum hoc uetustissimum, licet sit Tuscanici operis, in multis tamen antiquissimorum Aegyptiorum sculpturam imitatur, quod eorum opinionem confirmare uidetur, qui Etruscos in haec loca ex Aegypto uenisse contendunt. Primum enim Dea pedibus iunctis, more Deorum Aegyptiorum non gradientium, sed in quiete stantium, insistere; (quod uero ultimae antiquitatis est indicium, quae uel Daedali tempora antecedit,) manusque ad utrumque latus pendulas et cohaerentes habere conspicitur. 5) Praeterea capilli sunt soluti, prolixi, post humeros fluxi, atque ita in fine undique attonsi, ut lineam suam nec unus omnino excedat. Reliquum pedes lunatis calceis seu crepidis sunt ornati; diadema non est lemniscis retro pendentibus reuinctum: uestis exhibetur in elegantes sinus concinnata, e cuius angulo annexa est ansula, qua forte uestes suspendi solebant.

BELLONA

Tuscorum, praesertim uero Volaterranorum et Lunensium Dea.

Tab. I. Quamquam Seruius 6) Bellonam inter Deos communes refert: nullus tamen dubito, eam Deam olim Etruscis peculiarem fuisse, atque *Duellonam*, ut bellum duellum, appellatam; 7) postmodum uero, euocatione ab Appio Claudio facta, post partam de Etruscis uictoriam, ad Romanos demum transiisse, uti ex Liuii uerbis colligi potest. 8) Certe hic Claudius Anno V. C. 441. templum in honorem eius exstruxit, cuius dedicationem describit Ouidius, 9) in quo legatis exterarum gentium 10) et imperatoribus a bello redeuntibus et triumphum petentibus 11) senatus dabatur. Ante hoc templum erat *columella*, quae *bellica* uocabatur, supra quam hastam iaciebant, cum bellum indiceretur. 12) Cum nullum huius Deae ex aere simulacrum facile reperiatur, ex toreumate saltem hoc Etrusco perspici poterit, qua specie eam expresserint Tusci. Quatuor currus in eo sculpti sunt, quadriiugis equis tracti. In eo, qui notatur N. I. Bellona, ut opinor, est cum Marte. In altero N. II. Hercules clauam gerens cum Victoria. N. III. cum Dea alata sedet Deus Marti similis galeatus, qui uel Terrorem; uel potius Pausum Deum cum Pace referre uidetur 13). N. IV. duae uisuntur Deae: Nemesis forte et Venus 14). Prope rotas currus quadrijugi canes, uel cerui et serpentes conspiciuntur. Ejusdem Bellonae imaginem Tab. II. Fig. 11. 12. 13. 14. expressam exhibent. Fuisse autem hanc Deam a Volaterranis inprimis cultam, declarat ara marmorea uotiua, quam illustrauimus P. II. Inscript·

1) L. II. de Diuinat. uide etiam, quae de Fortunae imagine sculpta in Gemma, adnotat Cl. Bonarrotius in obseruat. ad Numism. max. mod. p. 226.
2) In Boeotic. L. IX. C. 16.
3) Vid. Reines. Synt. Inscr. Class. II. num. XXIII.
4) Aduersar. L. XVII. C. 24.
5) Diodor. Sic. L. IV. p. 276.
6) L. XII. Aeneid. ad u. 118.
7) Varro de L. Lat. L. VI. p. m. 74. Festus in u. Duellum.
8) Dec. I. L. X.
9) Fastor. L. VI. u. 298. de Bellona plura apud Gyraldum Synt. X. Hist. Deor.
10) Liu. L. XXX. C. 21.
11) Idem L. XXVIII. C. 38.
12) Festus in uoce Bellona.
13) Arnobius L. I. aduersus Gentes.
14) Lucretius L. I. u. 32.

Inscript. antiqu. Etrur. Vrb. 1) Apud Lunenses uero diuinos eiusdem honores docet ara peruetusta in ruinis Lunae urbis reperta 2).

VALENTIA

Tuscorum, ac praesertim Ocriculanorum patrium Numen.

Valentia, eadem cum Roma Aesculapii filia olim habita, Valetudo quoque et Salus fuit appellata. Tuscorum ac potissimum Ocriculanorum fuit Dea, ut diserte docet Tertullianus, 3) cui etiam uetustum marmor uotiuum Ocriculi inuentum adstipulari uidetur. 4) Non absurdum fuerit credere, ab auspicatissimo huius Deae nomine urbi Romae nomen inditum, quae, teste Solino, 5) prius Valentia uocata est. Nam ἐῤῥῶσθαι Glossis est *ualere* : *Ῥώμη. Valentia.* Inde Ῥῶμος et Ῥωμύλος, *uir fortis.* Inde Latinis priscis *Romulus*. Festus : *Romulus et Remus a uirtute, hoc est robore appellati* 6). Quidam Romam ab Etruscis conditam putant, ut ex Alcimo, uetustissimo Historico docet Festus 7), cui sententiae fauet Plutarchus, qui in Romuli uita affirmat, eam ciuitatem ab ipso condi non potuisse, nisi adscitis Tuscis. Hanc autem ueram Romae originem, a scriptoribus, odio uel inuidia in Etruscam gentem, postea fabularum ambagibus obscuratam fuisse, quidam sibi persuadent 8). Simulacrum autem hoc ex Mediceo Thesauro primum prolatum ex aere est, ab eximio Tusco artifice confectum. u. Tab. II. Fig. 1. Caput eius galea est insigne, et serpenticulus dextro brachio aduolutus, quo ipso non male augurari licet, referre, ut diximus, Deam, quam primum *Valentiam*, seu ualetudinem, postea *Salutem* ueteres dixere. Sic certe et Romam galeatam et cum serpente nobis sistunt nummi antiquissimi, quos pondera dicunt; et Diis salutaribus urbiumque conseruatoribus hoc animal, tamquam symbolum et insigne salutis additum reperitur 9). Vitta, qua caput cingitur, non omnino a galea celatur; sed euidenter apparet, quod raro, aut numquam factum ab aliis artificibus obseruatur. Tunica plumario opere insignis est: collum radiatum quoddam ambit monile, quod ornamentum Etrusci artifices maxime dignum Dearum maiestate existimarunt. Serpens in speciem armillae circa brachium uoluitur. Denique palla, quae superne induitur, miro artificio in sinus ac plicas est concinnata. Quod in Tab. II. Fig. 2. alterum signum est, itidem Valentiam Deam referre uidetur. Obseruatu dignum est diadema, seu mitella augustioris formae radiis distincta. Insignis est torques, e quo Etrusco more tres bullae dependent, quae dubio procul querna folia referunt, quam arborem ueteres Diis salutaribus tribuerunt. Caput palla habet uelatum, ut Aesculapius saepe conspicitur; utpote in quo mentis sedes est, et fons salutis. Serpenticulus, quem sinistra manu tenet, illis et magnitudine et specie similis uidetur, quos Etruria gignere solet 10).

Tab. II.

Tab. II.

VOLTVMNA, VOLVMNA ET VOLVMNVS

Etruscorum Dii proprii.

Voltumna qualis Dea fuerit, quaue religione culta, ob scriptorum silentium pro certo dici non potest. Quantum tamen coniicere datur, totius Etruriae Numen tutelare fuit, quasi rerum gerendarum curam haberet, populorumque saluti et tranquillitati prospiceret. 11) Qua de caussa ad ejus fanum, quod longe celeberrimum prope Vulsinium fuit, urbem in medio Etruriae sitam, conuentus et concilia frequentissime habebantur, quotiescumque nimirum res grauior incidisset, uel reipublicae salus postulasset. 12) Quod quidem laudabile Etruscorum institutum ad Deorum templa, de rebus paullo

B

1) P. 147. 148. 149.
2) Vid. Thom. Demster. de Etrur. Reg. L. IV. C. 20.
3) Apologetici Cap. XXIV.
4) Vid. not. ad Inscript. Donianas Class. I. num. 169. p. 36.
5) Cap. I. de origine urbis Romae.
6) Salmas. in Plin. Exercitat. in C. Iul. Solini Polyhist. p. 5. et 6.
7) L. XVI. uid. etiam Th. Demsterum de Etrur. Reg. L. I. C. IX.
8) Id patet ex Dionys. Halic. L. I. p. m. 23. ac passim, ubi Tuscorum meminit. cf. Edmund. Dikinson. in Diatrib. de Noe in Italiam aduentu, eiusque nominibus Ethnicis p. m. 29. 30. 31. 32.
9) Vid. Festus in uoce *Dracones.*
10) Serpentes sunt etiam Pacis signum, ut ex caduceis ueterum perspici potest.
11) Thomas Demsterus de Etrur. Reg. L. I. C. XV. p. 62.
12) Liuius Decad. I. L. IV. et V.

lo maioris momenti deliberandi, postea etiam Romani secuti fuerunt. 1) Volumnus et Volumna itidem Tuscorum fuere Numina magnae religionis et cultus, ut ostendit Demsterus. 2) Quod bona uellent ita appellata fuisse coniicit D. Augustinus. 3) Pro Diis autem, nuptiarum et coniugiorum Praesidibus falso a quibusdam haberi, idem paullo ante citatus docet Demsterus. 4) Suspicatur idem, Volumnam a turritis arcibus, quibus praeesset, nomen accepisse. *Vola* enim Etrusca lingua *arx* aut *urbs* est, de qua uoce alia plura erudita congerit. A Volumno et Volumna nomen acceperunt Volumnii,
Tab.II. quorum frequens mentio in antiquis lapidibus. An uero parua Dearum signa in Tab. II. obuia Voltumnam et Volumnam referant, adfirmare pro certo non ausim, licet coniectura non sit prorsus improbabilis. Rudis sculptura ultimam prodit antiquitatem, et quasi ipsam artis infantiam. Cum enim, teste Diodoro
Tab.II. Fig. 3. Siculo, 5) antiquissimi artifices signa sua facerent oculis clausis, perspicuum hinc est, signum hoc, longe esse antiquissimum. Manu dextra pomum tenet haec Dea; Caput habet tutulo ornatum; supra tutulum eminet nimbus (sic enim Latinis dicitur) siue diadema, quod discum refert. De hac diuinitatis apud ueteres nota, quam ab Aegyptiis Tusci; a Tuscis Romani acceperunt, uide Laurentium Pignorium 6) et Bonarrotium. 7) Tuscanici autem esse operis, probant calcei lunati, quibus Etrusci Deos suos ornarunt, quo augustiores uiderentur. Simulacrum Tab. II. Fig. 4. est aeneum, in quo praeter alia, illud inprimis obseruatione est dignissimum, quod oculos habet clausos.

PILVMNVS ET PICVMNVS

ueterum Etruscorum, praecipue uero Ardeatium, Cumanorum et Perusinorum Dii tutelares.

Pilumnus et Picumnus Etruscorum fuerunt Dii, uti ex terminatione, in quam aeque ac alia Tusca nomina; Vertumnus, Volumnus, Portumnus desinunt, colligitur. Auspiciorum et augiriorum, 8) nec non connubiorum et infantium Praesides atque Dii tutelares habiti fuerunt: unde etiam Varro eos, *Deos coniugales* appellat. 9) Pilumni aliquoties fit mentio apud Virgilium; 10) ad quem ita commentatur Seruius 11) *Varro Pilumnum et Picumnum infantium Deos esse ait: Piso Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiae.* Et Nonius Marcellus: 12) Pilumnus et Picumnus *Dii Praesides auspiciis coniugalibus* deputantur. 13) Quae de origine horum nominum uarii tradunt, Vossius 14) et Meursius 15) docent. Quia Parentum Dii Praestites credebantur, non absimile uero fuerit, si per *Deos Parentes*, quorum frequens in uetustis aris mentio; 16) quique Plauto *Dii Penates Parentum* dicuntur 17) Pilumnum et Picumnum intelligamus. Quidam Pilumnum, regem Rutulorum uetustissimum et Ardeae urbis conditorem fuisse putant: unde Ardeates ei aedem dedicarunt, quam nupturae uirgines frequentarunt. 18) Cumanos inprimis coluisse Pilumnum, uetustae arae inscriptio probat 19)

PILVMNO SANCTISSIMO
GENIO MVNICIPI SACRVM
P. IVBENTIVS. ANCHARIVS II. VIR

Sic *Perusini* quoque inter praecipuos Pilumni cultores fuerunt, ut uaria loca, Castrum *Pila*, castrum *Pilonico* et *Pilello*, quae ab eo nomen duxisse uidentur, satis probabiliter declarant. 20) Quae in Tab. II. Fig. 8. conspicitur Imago Pilumnum exhibet, globum dextra manu tenentem, auguralis discipli-

1) Alexand. ab Alex. Genial. dier. L. III. C. 28.
2) Demster. L. I. C. XV. p. 61.
3) De Ciuit. Dei L. IV. C. 21.
4) Loc. cit.
5) Obseruat. in Mensam Isiacam. p. 45. 46. 47. 48.
6) In uasa uitrea Coemeter. T. IX. n. I. et II. p. 60. 61. 62.
7) L. IV. p. 276. eius testimonium Franc. Iunius erudite illustrat in catalogo Pictorum &c. in Daedalo.
8) Demster. de Etrur. Reg. L. III. p. 297.
9) Nonius Marcellus de Doctorum indag. p. 528.
10) Aeneid. L. IX. u. 4. X. u. 76. 619. XII. u. 83.
11) Ad Virg. L. X. u. 76.
12) Loc. cit.
13) Cf. Alexander ab Alexandro, Genial. dier. L. II. C. XXV.
14) De Orig. et Progr. Idol. L. I. C. XL.
15) Animadu. miscell. L. II. C. I.
16) Raph. Fabrettus Inscr. C. II. n. 6. p. 72. Gudius p. LXXII. n. 7.
17) In Mercatore Act. V. Sc. I. u. 5.
18) Corradin. Vet. Lat. prof. L. I. C. XI. C. XIII. C. XXIV.
19) Apud Gruter. p. XCVI. 4.
20) Felix Ciattius in L. IV. Perusiae Etruscae p. 117. 118. 119. Demster. Tab. XL. et in Tom. III. Mus. Florent. Tab. LXXXI.

disciplinae uel donariorum symbolum, quibus cultores placari Deos suos posse credebant. Capilli per gyrum quasi calamistrati apparent.

Reliqua duo simulacra Fig. 9. et 10. orantium ritu manus habent apertas, atque uel ad caelum; uel ad cultores sublatas, quod omnino est obseruatu dignissimum. Etrusci autem eorumque exemplo Romani plerumque eo gestu Deos suos effinxerunt, quo ipsi in sacris faciendis precibusque fundendis usi fuerunt. In Tab. II. Fig. 11. 12. Pilumnus toto corpore nudus sistitur. Caesaries, quae circa humeros diffunditur, in elegantissimos plexus est dispertita. Supra frontem capilli quasi galeam quandam referunt.

FVRINA

eadem, quae ANCHARIA Tuscorum Dea, a Pisaurensibus religiosissime culta.

FVRINA Dea, Furiarum siue Eumenidum Princeps creditur, quam Etrusci ANCHARIAE; Latini et Romani FVRINAE nomine coluerunt; eiusque numen impiorum hominum scelera ulcisci crediderunt. Lucum, 1) Flaminem, FVRINALEM dictum 2) atque annua sacra FVRINALIA in eius honorem instituerunt. 3) Exstant adhuc arae huic Deae dedicatae, in regione transtiberina, ubi praecipuus eius cultus fuit, repertae. 4) In una earum *placabilis* cognominatur:

FURINAE. DEAE PLACAB.
SACRVM.

Anchariae seu Furinae imaginem referunt duae paterae fictiles, nuper in agro Pisaurensi repertae, quae in Tab. II. Fig. 13. et Tab. III. Fig. 1. exhibentur. In harum prima Dea haec collo, pectore et brachiis nuda, rigentibus capillis, ut scelestis terrorem incuteret; grandibus oculis, ore foedo, uultu terribili efficta cernitur. Sub pectore tunica breui est cincta, quae ostendit, eam ad scelera hominum ulciscenda esse expeditam. Illud etiam est notatu dignum, quod alae in capite et in humeris non pennatae uidentur; sed quales uespertilionum esse solent. Ramusculi duo circa Deam uidentur esse ilicis; siquidem haec arbor, teste Plinio, 5) apud Etruscos in maxima fuit religione, et Eumenides, quas Athenienses σεμνὰς, *seueras* dixerunt, in luco ilicibus denso fanum habuerunt, ut scribit Pausanias 6). Ex hoc uero licet etiam augurari, ramusculos ilicis et flores in sacris Anchariae fuisse adhibitos. *Furinae* huic interdum *Furor* et ipse inter Deos relatus ab Etruscis, comes additur, quod ex antiquo sepulcro ex marmore confecto probari potest. In dextro nimirum latere sepulchri, *Furina* Dea facem utraque manu, quasi iactatura eam, tenet: in laeuo FVROR gladium intentat. Vtrumque hoc Numen humeros alis instructos habet. Furor autem barbatus, uirili aetate toruoque uultu repraesentatur.

TAGES

Haruspicinae inuentor, a Tuscis, praecipue uero a Tarquiniensibus Perusinis et Cortonensibus religiose cultus.

Ut in Deorum numerum referam *Tagetem*, auctor mihi est Festus, 7) qui de diuina eius origine ita scribit: *Tages nomine, Genii filius, nepos Iouis, puer dicitur disciplinam haruspicii dedisse duodecim populis Etruriae.* *Tages* hic, ut Cicero ex antiquorum fabulis tradit, 8) dicitur in agro Tarquiniensi, cum

1) Cicero L. III. de Nat. Deor.
2) Alexander ab Alexandro genial. dier. L. VI. C. XII.
3) Varro de L. L. Lib. IV. V. et VI. cf. Gyraldum Synt. I. et VI.
4) Edidit Franc. Hesselius p. LXII. num. 5. 6.
5) Histor. Natur. L. XVI. C. XLIV.
6) In Corinth. L. II. C. XI.
7) In uoce Tages.
8) De Diuinat. L. II. C. 23. Sic Lucanus L. I. u. 636. ipsum conditorem huius artis scil. haruspicinae appellat. cf. Ouid. Metam. L. XV. u. 553. Censorin. de Die Nat. Cap. IV.

cum terra araretur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente et eum affatus esse, qui arabat. Puerili specie dicitur uisus; sed senili fuisse prudentia; Etruscosque, qui ad famam rei conuenerint, haruspicinae disciplinam docuisse. Vnde non male coniicit Io. Gerh. Vossius 1) hanc de Tagete fabulam originem traxisse ab Adamo, terrae filio, a quo primum homines Dei cultum edocti fuerunt. Libri, qui Haruspicinae notitiam continebant, *Acherontii* dicti sunt, quos Etrusci non minore diligentia, quam Romani Sibyllinos libros adseruarunt, quosque in rebus dubiis consuluerunt: ipsa uero eius sacra, *Acherontia* appellata fuerunt. 2) Quodsi uero cônstat, urbium conditores, rerumque generi humano utilium inuentores in Deorum numerum olim fuisse relatos, dubitandum non est, *Tagetem* quoque cum ob diuinam suam originem; tum ob inuentam a se superstitiosam illam doctrinam ab Etruscis diuinis honoribus cultum fuisse; maxime a Tarquiniensibus, apud quos ortus dicitur; eosdemque haruspicinae disciplinam docuisse memoratur. His facile addi possunt Perusini et Cortonenses, quod in eorum finibus iuxta lacum Thrasimenum haec Tagetis simulacra inuenta fuerunt. Tusci eum pueri sedentis habitu effinxerunt: quippe apud Ebraeos, Graecos et Romanos mos fuit docentium sedere; 3) eademque de caussa Minerua, Apollo et Vates frequenter in Tuscis potissimum monumentis sedentes conspiciuntur; 4) quod artes et disciplinas rerumque futurarum euentus homines docuerunt. Diuina habet ornamenta Tages, nimirum bullam et quidem maiorem e sericeo torque ante pectus dependentem, armillas et periscelidem cum Etrusca inscriptione. Auicula, quam dextra tenet, forte notat auguralem disciplinam, quam inuenisse dicitur. 5) Globus in altera manu orbem caelumque innuere uidetur, in quo obseruando illa disciplina potissimum uersabatur. Ex reliquis duobus simulacris, Tab. III. Fig. 3. unum Genium, Tagetis patrem referre uidetur, quod suadet Serpens, Genio ualde conueniens: alterum Fig. 4. uel ipsum sistit Tagetem; uel eius discipulum Bacchetidem, qui omnem haruspicinae scientiam litteris consignauit. 6)

Tab. III. Fig. 2.

BYGÖE.

Nympha Etruscorum, Haruspicinae peritissima, diuinis honoribus consecrata.

Bygöe Nympha fuit, quam Tusci propter eximiam auguralis disciplinae scientiam egregiaque in se collata ab ea beneficia diuinis honoribus affecerunt. 7) In fragmentis Agrimensorum dicitur quoque *Vegoia*. Vt enim Καλλιόπη dicitur et Καλλιόπεια: ita Βυγόη et Βυγόεια. Sicuti, teste Seruio, 8) Bygöe artem scripsit fulguritarum arborum: ita ex paullo ante allatis non obscure colligitur, eamdem de terminis quoque aliquid litteris consignasse; interque Numina Terminalia relatam fuisse. Quare mirum non est, si eius imago ad termini, sed longe elegantioris formam expressa est; uti insigne hoc eius Tab. III. fig. 5. simulacrum ostendit; quod ad similitudinem Hermaeorum, sed longe pulchrius elegantiusque effictum uidemus. Hunc Deorum simulacra effingendi morem ab Aegyptiis ad Tuscos manasse ex antiquis monumentis ualde est probabile; nisi quod Tusci non cum solo capite; sed pectore tenus Deorum Hermaea signa expresserunt; insuperque uariis ornamentis, grandibus potissimum foliis exornarunt: quae quidem in hoc simulacro iligna esse arbitror; cum quod auspicatissima haec arbor sacra fuit Diis apud Etruscos; 9) tum quod in ipsis, more tunc consueto, 10) sortes et diuinationes arborum fulguritarum Bygöe potuit inscribere. Esse autem hoc Bygoes Nymphae signum, exinde quoque coniici potest, quod solutis et diffusis crinibus est effecta, quales uaticinantibus tribuuntur, ut docet Ouidius. 11) Inter Deos medioxumos hanc Nympham a Tuscis fuisse relatam, bulla minor indicare uidetur, quae uero e torque maiore pendet, quod in eo consilii caelestisque numinis sedes constituta credebatur. 12)

VOL-

1) De Orig. et prog. Idol. L. I. C. XL.
2) Seruius in Aen. L. VIII. u. 398.
3) Io. a Wower de Polymathia C. IV. p. 30. et 31.
4) Vid. ap. Demster. Tab. III et XLVII. et alia monumenta, quae in hoc libro exhibentur. Huc referri possunt commentatores sacri ad Luc. II. u. 46.
5) Cicer. L. II. de Diuinat.
6) Fulgentius ad Chalcidium in dictione Labeo.
7) Demsterus de Etrur. Reg. L. III. C. III.
8) Ad L. VI. Aeneid. u. 72.
9) Vid. Salmasium in Plinian. Exercit. T. II. p. 675. 676.
10) Virgilius Aen. L. III. u. 444. L. VI. u. 74. Virgilius non exponit, cuius arboris folia essent. Seruius, putat fuisse palmae. uid. Plin. L. XIII. C. XI. Alexandr. ab Alex. de Dieb. gen. L. II. C. XXX.
11) In Epist. V. u. 114.
12) Alex. ab Alexandro Gen. dier. L. II. C. XIX.

VOLTVRNVS

Deus Etruscorum Campanorumque tutelaris et proprius.

Quamquam nemo fere recentiorum scriptorum *Volturnum* in Deorum numero recenset : multae tamen rationes adsunt, cur eum inter Deos referamus, atque ab Etruscis et Campanis diuinis honoribus affectum credamus. Nam *Vol* et *Vola* prisca Etruscorum lingua 1) *arx* atque *urbs* est: insuperque alia Etruscorum Deorum nomina, ut Vortumnus, Volumnus, Volumna, Voltumna eodem modo desinunt. Quid ? quod Varro Volturnum antiquissimis Etruscae gentis Numinibus accenset, cui et *Flamen Volturnalis*, et *sacra Volturnalia* dicta, consecrata fuerunt. 2) Ab Etruscis ad Campanos quoque eius cultum transiisse ualde est probabile; siquidem Liuius 3) urbem *Volturnum*, quae primum ab hoc Volturno Deo; deinde uero a Capye Trojano,, eiusdem restauratore Capua dicta est, diserte Etruscorum urbem appellat. Quam sententiam Cato quoque apud Velleium Paterculum 4) et Seruius 5) confirmant. In hoc Volturni simulacro Tab. III.. Fig. 7. 8. curiosum est perbreue amiculum, quo tegitur ante et retro, pectore atque humeris tenus : quomodo autem hanc uestem appellem nescio: nec minus incertus sum, an hic Deus Volturnum referat.

IVTVRNA ET PORTVMNVS

Dii selecti ueterum Etruscorum.

IVTVRNA, quam Arnobius 6) Iani, Tuscorum Deorum principis, coniugem tradit, et a qua fons celeberrimus et lacus 7) nomen acceperunt, selectis Tuscorum Diis uidetur adnumeranda. Hanc Latini postea et Romani, Etruscorum exemplo, ob maxima ipsis praestita beneficia, quae Virgilius 8) et Ouidius 9) memorant, diuinis quoque honoribus affecerunt. Ex multis illa saltem Seruii 10) uerba in medium proferam. *Iuturna fons est in Italia saluberrimus, iuxta Numicium fluuium, cui nomen a iuuando inditum: cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit aegrotorum corporibus, hic omnibus, saluberrimus fons est : de hoc enim fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueuerat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem, quae laborantes iuuare consueuit. Huic fonti per aquarum inopiam sacrificari solet : cui Lutatius Catulus primus templum in Campo Martio fecit; nam et Iuturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem festum Iuturnalia dicunt. Varro rerum diuinarum quarto decimo ait : Iuturna inter proprios Deos Nymphasque ponitur.* Aliqui cum Dea Egeria eam confundunt.

Huius Deae imaginem forte repraesentat signum elegantissimum, quod Tab. III. fig. 9. exhibetur. Tab. III. Emblema uasis Etrusci Iuturnae sacri fuisse ex forma colligitur, quo forte in sacris Iuturnalibus ad hauriendam ex eius fonte aquam usi fuerunt. Capilli uirginum more sunt collecti, absque nodo tamen. Bulla in speciem cordis facta e collo pendet: armillae in utroque brachio adiunctis bullis sunt insignes. Quamquam toto corpore est nuda, crura tamen sunt loris cincta, pedesque calceis lunatis induti.

Portumnus, qui uel a portando; 11) uel, quod uerisimilius, a portubus, quibus praeesse fingebatur, nomen habet, 12) in celeberrimis quibusque Italiae portubus et promontoriis, quae Etrusci terra marique tunc potentes, tenuere, diuino honore fuit cultus; omnium tamen maxime in portu Tiberino, ubi templum habuit longe celeberrimum. Sacra eius *Portumnalia* dicta 13) memorat Varro. Inter Gudianas inscriptiones, quae tum Panormi; tum prope Augusti portum, sunt inuentae, plures occurrunt *Portumno* sacrae, cui etiam *Fortuna Tranquuilla* tamquam comes addita est, propterea quod Portumnus cultoribus suis, ut tradit Arnobius 14) per maria commeantibus, tutissimas nauigationes praestare credebatur.

C Fingitur

1) Volaterranus Comment. L. V. Demsterus de Etrur. Reg. L. I. C. XV. p. 61. et L. V. C. III. p. 279.
2) Festus in h. u.
3) Lib. IV. et XXXIV.
4) L. I. C. VII.
5) Ad L. X. Aeneid. u. 145.
6) L. III. contra gentes p. 99.
7) Vossius de orig. et progr. Idolol. L. II. C. 80. p. 263.
8) Aeneid. L. XI.
9) Fastorum L. I.
10) Ad Aeneid. L. XII. u. 139.
11) Cicero de Nat. Deor. L. II.
12) Seruius ad Aeneid. L. V. u. 241.
13) L. V. de lingua Lat. p. 50.
14) Adversus Gentes L. III. p. 96.

Fingitur Deus in hoc simulacro Tab. III. fig. 10. iuuenili specie florens. Capilli duplici ordine in uarios cincinnos more Aegyptiorum Numinum sunt dispositi. Torquis cum bulla specie cordis confecta, cum duabus alis utrimque pendentibus collum et pectus exornat. Sinistrum brachium armilla decoratur. *Apuleius* 1) quidem Portumnum barba caerulea hispidum describit. At enim uero Etrusci nunc barbatos, nunc imberbes Deos et quidem iuuenili aetate florentes, expresserunt.

VITVMNVS ET MANTVRNA.

Dii religiose culti in Etruria.

Vitumnus Etruscorum fuit Deus, ut uel ex uocis extremitate, qua aliis eiusmodi nominibus respondet, recte colligitur; atque puerperio et nascentibus, quibus quasi uitam dabat, praeesse credebatur. Ex antiquis, quantum scimus, sollus Augustinus aliquoties eius meminit, cumque *Sentino*, qui sensus largiretur, coniungit. 2) An Flaminem et sollemnia sacra habuerit Vitumnus dici haud potest ob mirum ueterum de eo silentium.

Tab. III. Manturna, quam exhibet Tab. III. fig. 13. ueterum Tuscorum Dea fuit coniugialis, quae a manendo nomen traxisse putatur; uti docet Augustinus: 3) *ut maneat cum uiro, additur Dea Manturna.* Vossius Manturnam ipsam Iunonem esse arbitratur, quam matrimoniorum Praesidem ueteres multis cognominibus celebrarunt; 4) cuique, ut Virgilius canit, sunt *uincla iugalia curae* 5). Tuscorum Manturna eadem ac Fides et concordia coniugum esse potest. Nam fides quoque connubia stabilia seruat.

Inter reliqua signa, illud potissimum est admirabile, Tab. III. fig. 12. in quo Senex pusillo corpore, palliatus, cum calceis fibula adstrictis conspicitur, qui non male *Vitumnum* Deum repraesentare potest. Ac, cum uita bona ualetudine uigeat ac seruetur, forte hic Vitumnus idem esse possit, ac Graecorum Romanorumque *Telesphorus:* nisi quod illum sagacissimi Tusci senem effinxerunt, quasi jam maturae uitae praesidem Deum. Cucullum uel admouendum uel reducendum habet: caput superne est perforatum, intusque inane, ut forte odores in eo, tamquam uase reponi possent.

VACVNA, PAVSVS ET CLITVMNVS

Dii ueterum Tuscorum locales et proprii.

Vacumna siue *Vacuna* celebris fuit Tuscorum Dea, quam praecipue Sabini, qui eius cultum ab Etruscis, tota olim Vmbria potitis, 6) acceperunt, diuinis honoribus prosecuti fuerunt. Nomen inde accepisse uidetur, quod, cum Etruscii terra marique diu iactati fuissent, tandem in Vmbria, deuictis, qui tunc eam regionem tenebant, gentibus, tranquillas sedes obtinuerunt. Quo facto, cum omnibus curis uacui, otio et quieti exoptatissimae uacarent, *Vacunae* Deae ob insignia beneficia sibi collata, sacerdotes, templa et sacra instituerunt. Omnes sane Scriptores in eo consentiunt, hanc Deam esse uacationis, quae animum a curis uacuum reddere possit. Porphyrius hanc Deam incerta specie a Sabinis cultam his uerbis memorat: 7) *Vacuna apud Sabinos plurimum colitur Dea, quae est sub incerta specie formata: quidam Mineruam, alii Dianam putauerunt: nonnulli et Cererem esse dixerunt; sed Varro Victoriam.* Sic Athenienses quoque Hesychum Deum, otii et uacationis Praesidem aris templisque uenerati sunt 8). Hoc Etruscorum Sabinorumque exemplo Romani quoque Vacunae sollemnia sacra, *Vacunalia* dicta, instituerunt; quae cum alii, tum potissimum agricolae post peractos ruris labores celebrarunt 9). Certe Vacunae templum Horatii aetate celebre fuit in regione XIV. trans Tiberim, quod ob nimiam uetustatem ruinosum *putre* appellat 10).

Simulacra

1) De asino aureo L. IV.
2) De Ciuitate Dei L. VII. C. II. et III.
3) Idem L. VI. C. IX. uide etiam Gyraldum in Histor. Deor. Synt. I. p. 47.
4) De Orig. et progr. Idolol. L. II. C. XVI. Gyrald. histor. Deor. Synt. I. p. 54. Pitiscus in Lexico.
5) Aeneid. L. IV. u. 59.
6) Plinius L. III. C. XIV.
7) In Horat. epist. X. L. I.
8) Plutarchus in uita Niciae. De Dea Vacuna erudite differit Lud. Cresollius Vacat. Autumn. L. I. C. II.
9) Ouidius Fastor. L. VI. u. 303.
10) L. I. epist. X.

Simulacra in Tab. IV. obuia non inuita Minerua Vacunam referre possunt. Fig. 1. Mineruae similis Dea sedet in throno, folio pedibus subiecto. Peplum e galea defluens humeros usque ad ima obtegit. Pectus non Gorgonis capite, sed uittis decussatis ornatur. Clypeus quoque purus est absque eodem amuleto. Sedet Dea quasi curarum uacua, cum ueteres artifices Mineruam stantem effingere soleant. Quae omnia *Vacunae* potius, quam Mineruae simulacrum probant. Tab. IV.

Quod ad alterum signum Fig. 2. relatum attinet, dubito, utrum Mineruam, an aliam Deam referre dicam, stat Dea sine clypeo et Gorgone in pectore. Retro e galea defluit uelum, quod rarius in aliis simulacris hunc in modum uidere licet. Reliqua duo Fig. 3. et 4. obuia, Vacunae facile tribui possunt; nisi quod alterum alatum tum Venerem, tum Victoriam referre possit. Ab incerta hac Numinum forma formulae illae in inuocationibus profluxisse uidentur: *quisquis es Deus*: uel etiam, *siue Deus, siue Dea*, ne scilicet dubitantes de certo Dei nomine, errore laberentur 1).

Pausum Etruscis Diis adnumerat Demsterus, quem tamquam pollentem genium religiosissime coluerunt: eo quod bellis aduersus, pausam et quietem adferret, uti censet Turnebus 2), allato Arnobii testimonio. Imaginem *Pausi* uide in superiore Tabula I.

Clitumnus patrius fuit Deus Vmbrorum, quem Tusci, qui ea loca, pulsis Pelasgis, tenuerunt, diuinis honoribus prosecuti fuerunt. Quidam Clitumnum ipsum flumen in Meuania celeberrimum; alii eiusdem fluminis Deum existimant, 3) qui *Clitumnus Iupiter* dictus est. Idem prodit Vibius Sequester de fluminibus: *Clitumnus Vmbriae, ubi Iupiter eodem nomine est.* Plinius iunior et Clitumni fluminis miram naturam; et Dei simulacrum templumque eleganter describit. 4) Clitumni nemus memorat Suetonius. 5) Clitumnalia sacra apud Hispellates in eius honorem celebrata comprobat ara uetusta Clitumno dedicata, quae inter Gudianas exstat 6).

DEORVM,

quos ueteres Tusci peculiari cultu consecrarunt, nomina recensentur et illustrantur.

Diis propriis et selectis ueterum Etruscorum iam memoratis, alios addere non superuacaneum arbitramur. Primum hic locum teneat *Falacer*, Deorum longe antiquissimus, quem *Diuum Patrem* uocatum scribit Varro 7) Flaminem habuit, quem ex eo dixere *Falacrem.* Qualis autem fuerit Deus, ob summum ueterum scriptorum silentium incertum est. Nomen ipsius quidam a loco Falacrino, non procul Roma deducunt; cuius mentio fit in Itinerario Antonini. Turnebus in Varronem 8) suspicatur, a Falis Circi nomen obtinuisse: quae uero sententia ideo minus probabilis, quod Falacer jam cultus fuit, antequam hae Falae essent. Facile crediderim Falacrem ipsum esse Ianum, Tuscorum Deum principem, quem alii ipsum esse caelum arbitrati sunt; ut docet Macrobius, 9) quippe *Falando*, seu potius *Falado* apud Etruscos caelum significat, ut scribit Festus. 10) Hanc coniecturam confirmat, quod *Falacer*, aeque ac *Ianus* DIVVS PATER fuit appellatus 11).

Ianum Falacrem siue caelestem ac summum forte referre possit signum, quod in Tab. I. fig. 3. exhibetur. Nam dextro brachio et manu elata caelum, quasi sedem suam ostendere uidetur.

Carna Tuscorum Dea uiscera humana uitalia salutemque conseruare credebatur. 12) Tutelaris quoque Dea infantium esse putabatur, eo quod ab his striges pelleret. 13) In Coelio monte templum habuit, in quo sacra in eius honorem instituta Calendis Iuniis, sine caede et sanguine fuerunt celebrata. 14) Cardea quoque et Cardinea dicta est, quod cum Iano coniuge cardinibus praeesset 15).

Inter locales Deos referendi quoque sunt *Deluentinus* et *Visidianus*, siue, ut alii uolunt, *Viridianus*, quorum illum Casinienses; hunc Narnienses religiosissime coluerunt. Hos memorat Tertullianus. 16) Quales autem fuerint, exploratum non est.

1) Macrob. Sat. L. III. C. IX. Seruius in Virgil. Aen. L. IV. u. 576.
2) Aduersar. L. XV. C. XXI.
3) Turnebus Aduers. L. XXIX. C. XXVI.
4) L. VIII. epist. VIII.
5) In Caligula C. XLIII.
6) Pag. LXII. n. 4.
7) De Lingua Lat. L. IV. p. 21. et 80.
8) Aduersar. L. VI. C. V. priorem tamen sententiam ipse Turnebus præfert.
9) Saturnal. L. I. C. IX.
10) In u. Falae.
11) De Lingua Lat. L. IV. p. 23. edit. Dordr. cf. Gyrald. histor. Deor. Synt. V.
12) Alexander ab Alex. Gen. dier. L. II. C. XXII.
13) Ouidius Fastor. L. VI. u. 130. et seqq.
14) Macrobius Sat. L. I. C. XII. uide etiam Alexandrum ab Alex. L. II. C. XXII. et Corradinum Vet. Lat. T. I. L. I. C. XIII.
15) Ouid. Fast. L. VI. u. 100. Augustinus de Ciuit. Dei L. IV. C. VIII. Gyraldus Synt. I. Hist. Deor.
16) In Apolog. C. XXIV. uid. Alexandr. ab Alex. Genial. Dier. L. VI. C. IV. Demsterum de Etrur. Reg. L. I. C. XV.

Hebona Neapolitani omnesque fere Oscorum ciuitates Etruscae originis, tamquam patrium numen coluerunt, quod eorumdem nummi probant, 1) qui ipsum tauriformem repraesentarunt. Macrobius *Hebona* ipsum Bacchum esse censet 2).

Mutumnus siue *Mutunnus* omnibus fere idem qui Priapus esse uidetur. Huius Dei meminit Augustinus, 3) nec non Tertullianus 4) et Lactantius, 5) qui Picumno seu Sterculio eum iungunt.

Arna Tuscorum Dea creditur, quippe quae in sepulcris ueterum Tuscorum frequenter occurrit. Eam ab Arnatibus, quorum Plinius meminit, maxime cultam fuisse 6), lapis testatur, qui in urbe, hodie Ciuitella d'Arne dicta, fuit repertus; et in qua etiamnum uetustissimae Etruscorum aedificiorum reliquiae exstant 7).

Praeter hos Deos Etruriae, memorandi nobis porro sunt fluuii, stagna, lacus, qui uel ob nomina ab Etruscis Regibus et Heroibus sibi indita; uel ob plurima commoda, quae populis largiuntur, diuinos honores promeruerunt. Ordinem ducat *Tiberis*, antea Albula dictus, cui Tiberinus, Etruscorum rex nomen inclitum fecit: uel quia in undis eius fuit submersus; uel quia pugnans iuxta eum caesus est, uti Liuius 8) et Dionysius Halicarnassensis 9) memorant. Tiberinum a Romulo in Deorum numerum relatum docet Varro apud Augustinum 10). Spectacula in eius honorem celebrata *Tiberinalia*, 11) ipsum uero *Patrem Sanctumque* ueteres appellarunt. Praeterea Nymphas comites ei dederunt, ut ex antiqua Inscriptione patet:

De TIBERINO plura sunt apud Demsterum. 12) Tusci autem non solum Nymphas fluuiorum et fontium Praesides; sed etiam montium, collium, nemorum, lucorum et arborum coluerunt. Varro 13) memorat *Lares* et Nymphas *Querquetulanas*, quas *Querquetulani*, qui a Tuscis orti ante Romam conditam Coelium montem incoluerunt, sollemnibus sacris uenerati sunt; sacellumque *Querquetulanum* dictum ei sacrarunt.

Arnus, qui et ipse *Sanctus Pater* dictus est, a ueteribus Tuscis diuinis honoribus consecratus est. Celebre est eius nomen apud Geographos aliosque antiquos scriptores, inter quos Poëtae inprimis Nymphas, eius comites, magnis laudibus celebrant. *Arnum cum Tiberino* exhibet uetustissimus sarcophagus, qui Florentiae exstat. Ambo aquas ex urnis effundunt, et copiae cornu fructibus refertum tenent. Arni originem illustrat Demsterus 14).

Auser siue *Aesar*, qui hodie Serchius appellatur, inter patria Numina cultum diuinum obtinuit, ut ipsum eius nomen, quod notante Suetonio 15) *Deus* significat, clare ostendit.

Inter Deos locales relati porro a Tuscis sunt alii celebriores fluuii Padus, Macra, Cremera &c. nec non insigniores lacus Thrasimenus, Lucrinus, Velinus &c. et aquae salubres Baianae, Clusinae, Gabiae cet. quibus aras quoque sacras fuisse dubitari nequit 16).

SATVRNVS ET OPS

ceterique Dii Consentes et communes ueterum Etruscorum proponuntur et illustrantur.

Post patrios Etruscae gentis Deos, illos quoque persequemur, quos Tusco uocabulo *Consentes* appellarunt, quod in concilio Iouis consentiant adhibeanturque. 17) Principem locum obtineat Saturnus, qui cum a filio Ioue regno pulsus, post uarios errores tandem classe in Italiam delatus fuisset, Ianumque notitiam ruris docuisset; ob insigne hoc beneficium in regni societatem ab eo adscitus dicitur. 18) Quo uero aduentus huius Saturni memoria apud posteros esset testatior diuturniorque, Ianus,

1) Matth. Aegyptius in commentar. in S. C. de Bacchanalibus p. 32. 33. cf. Gyrald. Histor. Deor. Synt. VIII.
2) Saturnal. L. I. C. XVIII.
3) de Ciuitat. Dei L. IV. C. XI.
4) In Apologet. C. XXV.
5) De falsa Relig. L. I. C. XX.
6) Histor. Nat. L. III. C. XIV.
7) Fel. Ciattius Perus. Aug. L. II. p. 76.
8) L. I.
9) Antiquit. Rom. L. I. p. 57.
10) De Ciuitate Dei L. VI. C. X.
11) Lambecius Bibl. Caes. T. IV. p. 284.
12) De Etrur. Reg. L. II. C. XVII.
13) De Lingua Lat. L. IV.
14) De Etrur. Reg. L. IV. C. V.
15) In Augusto C. 97.
16) Demster. L. I. C. XIII. L. IV. C. VI. Reinesius Class. I. 96. 97. 99. Fabrettus de Aquis Diss. II. p. 99. 100.
17) Arnobius adu. Gentes L. III. Nigidius L. XVI. D. Augustin. de Ciu. Dei L. IV. C. XXIII.
18) Tertullianus Apologet. C. X. Herodian. in Commodo L. I. C. XVIII.

Ianus, cum primus aera signaret, ex una quidem parte sui capitis effigiem; ex altera uero nauim exprimendam curauit. 1) Post mortem diuinis honoribus, aris, templis, feriis, sacris consecratus est, quae ab eo *Saturnalia* dicta sunt, multis saeculis ante Romam conditam celebrata. Flamines quoque, Vates et Faunii in eius honorem constituti sunt, qui Saturniis uersibus eius laudes ac memoriam celebrarent. 2) Sacrificia humana ab Etruscis quoque huic Deo fuisse facta Anaglypha sepulcrorum, quibus ad recondendos defunctorum cineres usi sunt, comprobare possunt.

Simulacrum, quod in Tab. IV. Fig. 6. exhibetur, Tusco artificio est pulcherrimum rarissimumque. Dextra, quasi aliquid meditabundus, mentum suffulcit suum. Diuinationis auctorem facit Plutarchus. 3) Sinistra falcem messoriam uel arborariam tenet, quam ipse quidem primus in Italiam intulit; Ianus uero usum eiusdem Tuscis ostendit, quod ex *Palladio* et *Seruio* colligit Demsterus. 4) In antiquo lapide imagini Saturni et falci addita conspicitur nux pinea, felicitatis atque aurei aeui symbolum, et patera, quasi libationes diuinas ipse inuenerit. Toto corpore, contra artificum Romanorum morem, nudus sistitur in hoc signo, operto capite paruo pileo: uel quia ipsum ad arcendas tempestatis iniurias inuenisse agricolisque potissimum monstrasse creditur; uel propter labores, quos, cum Italiam peteret, terra marique perpessus est. 5) In eadem Tabula I. Fig. 7. Saturno iungitur *Ops*, quae et Rhea, Magna Deum Mater, Cybele, Maia, Bona Dea, Terra seu Tellus, Fauna et Fatua fuit appellata, soror eiusdem et coniux, quam uno quoque eodemque templo Romani coluerunt. Ante Romam conditam hi Dii, teste Varrone, 6) principes in Latio fuerunt. Ab Etruscis primum institutum, uel potius auctum fuisse eorum cultum exinde coniicitur, quod Ianus Etruscorum Rex Saturnum, ac simul, ut opinor, Opim apotheosi consecrasse memoratur a Macrobio. 7) Saturno et Opi primum in Attica aras statuisse dicitur Cecrops; 8) unde Athenienses eosdem diuinis honoribus coluerunt. Sicuti uero aliae gentes Opim uestibus amictam ac cum capite turrito repraesentarunt: ita contra Etrusci eam toto corpore nudam et aperto capite suspensisque in aëra brachiis, insuperque tympana, quae terram referunt, tenentem effinxerunt. Qua uero de caussa eam ita exhibuerint, ex Lucretii 9) uersibus facile colligi potest. Sacra in eius honorem celebrata *Opalia* dicta fuerunt 10).

IVPITER.

Summanus, Anxurus, Elicius, Fulgerator, Tonans, Lucetius ab Etruscis cultus.

Quamquam Etrusci *Iouem*, Consentium Deorum principem summa religione coluerunt: quippe quem dicunt omni Etruria potitum, iussisse, ut metirentur campos, agrosque signarent: 11) nullum tamen simulacrum Tusci operis in celebrioribus Etruriae bibliothecis reperire potui, praeter hoc aeneum idque uetustissimum, atque in ipsa artis infantia confectum, Tab. IV. fig. 8. quod inter rudera Tab.
antiquissimi fani prope Florentiolam ante aliquot annos fuit repertum, et *Iouem Summanum* siue *Inferum*, IV.
cui Etrusci nocturna fulmina tribuerunt, referre uidetur. Hoc signum egregie illustrat Plinius 12). *Tuscorum litterae nouem Deos emittere fulmina existimant, eaque esse undecim generum: Iouem trina iaculari.* Romani duo tantum ex iis seruauere, diurna attribuentes *Ioui*, nocturna *Summano* &c. Fulmen, quod dextra tenet Iuppiter in hoc signo e genere terrenorum esse uidetur; nam rectum *Summanus* tenet *Iupiter*, cum e contrario frequentius obliquum habeat Iupiter Fulminator in antiquis monumentis. *Summani* Iouis apud Tuscos cultum probat mons circa Pistorium, qui adhuc *Mons Summanus*, uulgo Monsummano dicitur: Est etiam alius haud procul ab hoc, qui a *Ioue Supero* et caelesti hodienum *Mons Iouis*, uulgo, Monte Gioui 13) appellatur. Ex quo facile patet, *Iouem Summanum* apud Florentiolam, ut et apud Pistorienses aliosque finitimos populos templum et sacra habuisse. Nudo corpore exhibetur Iuppiter, imberbis et iuuenili specie decorus. Capilli retro prolixi et intonsi frontem plexu quodam coronant. Forte fuerit effigies *Iouis Anxuris*, quem Tusci circa Campaniam una cum Feronia Nympha religiosissime coluerunt;

D runt;

1) Macrob. Saturn. L. I. C. VII.
2) Corradin. Vet. Lat. L. I. C. XXIV.
3) De Oraculorum defectu.
4) De Etrur. Reg. L. III. C. LVII.
5) Becanus in Cron. L. IV. p. 400. 401. 402.
6) De Lingua Lat. L. IV.
7) Saturnal. L. I. C. VII. et X.
8) Ibid.
9) L. II. u. 600.
10) Festus in u. Opalia. Gruterus P. CXXXIII.
11) Vide Bonarrot. in monum. addit. Demster. §. II. p. 10.
12) L. II. C. LII.
13) V. Part. II. Inscr. ant. Etr. Vrb. p. 126.

runt; ejusque tutelae arua commendarunt, ut docet Virgilius 1). De hoc Iouis cognomine plura uide apud Dausquium 2).

Iupiter Elicius, Graecis καταιβάτης dictus, cui Numa aram in Auentino dicauit, 3) non aliunde, quam a Tuscis originem duxit. 4) Quare *Elicius* dicatur, praeter Liuium 5) et Plinium 6) clarissime docet Ouidius. 7)

Cultus quoque ab Etruscis fuit *Iupiter Fulguriator* siue Fulgurator, itemque *Fulminator* et *Tonans*, quae nomina ex libris auguralis disciplinae Etruscorum ad alios demum manarunt. 8) Perutius 9) putat hoc simulacrum referre *Iouem Fulgeratorem*; cui aram dicatam affert Gruterus 10). Qui Fulgura eorumque iactus interpretabantur ac procurabant, *Haruspices Fulguriatores* dicebantur. 11) Illud denique praeterire haud possum, nouem fuisse apud Tuscos *Deos Tonantes*: *Iouem*, *Summanum*, *Saturnum*, *Martem*, *Vulcanum*, *Iunonem*, *Mineruam*, *Apollinem*, *Bacchum*, quibus singulis peculiaria fulmina tribuerunt. Ex antiquis monumentis 12) discimus, cognomina Deorum in usu fuisse apud Tuscos, ac forsitan omnium primos ea in Italiam inuexisse. Vnde aliquando Deos proprio nomine; interdum solo cognomine inuocarunt.

Iupiter Lucetius, ab Oscis potissimum Etruscorum colonis in Campania cultus est; de quo ita commentatur Seruius: 13) *Lucetium: solum hoc Numen est, quod dictum a Virgilio, a nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Osca Lucetius est Iupiter dictus a luce, quam praestare dicitur hominibus: ipse est nostra lingua Diespiter, id est Diei Pater*. Hunc Salii carminibus celebrarunt 14) et ex eo *Iunonem Lucetiam* dictam scribit Marcianus Capella 15) quod lucem infantibus tribuat lucemque protegat oculorum.

Iuppiter Vicillinus celebre templum habuit in Etruria, in agro Cosanorum, uti testis est Iulius Obsequens. 16) Vnde origo huius cognominis deducenda sit, incertum est. 17) Tusculani *Iouem Maiorem* a maiestate ac magnitudine ita dictum coluerunt. 18)

IVNO

Argiua, Curis, Regina, Cupra, Sospita, Feronia, Lacinia, compluribus nominibus religiosissime culta.

Celeberrimum apud Etruscos fuit nomen *Iunonis*, quam tota ferme Etruria templis aris donariisque opulentissimis religiosissime coluit; ut ueteres Scriptores uetustaque monumenta adhuc possunt testari. Iuno ab Etruscis dicta est *Eris*, sicuti Ἥρα a Graecis: qui eius templum Ἡραῖον; eiusque Sacra Ἡραῖα appellarunt, quippe quam *aërem* esse putarunt. 19) Latini *Iunonem* uocarunt, quia una cum Ioue fratre et coniuge iuuat. 20) Tusci eam plerumque omnibus ornamentis decoratam exhibent, uti uidere licet in patera Etrusca Tab. III. Demsteriani operis relata. In imagine huius Deae, quam Tab. IV. fig. 9. repræsentat, elegantissimum et peculiare est diadema, quo caput eius exornatur. Ante pectus non bulla, sed aquila expansis alis e torque; isque e peplo pendet. In quo quidem Etrusci ae postea

Tab. IV.

1) L. VII. Aen. u. 799.
2) Tom. II. Orthograph. p. 51. et in Silium Ital. L. VIII. p. 349.
3) Liuius L. I. Varro de L. L. L. V.
4) Crinitus de honest. Disc. L. XXV. C. II.
5) L. I.
6) L. II. C. LIII.
7) Fastor. L. III. u. 325.
8) Crinitus ibid. L. XXV. C. II.
9) Adi Differtat. IV. quae edita est nuper Romae cum aliis Etruscor. Academicorum p. 47.
10) P. XX. 4. uide etiam inter Donianas Class. I. n. I.
11) Demster. de Etr. Reg. L. III. C. III. p. 251. Dissertationes Academ. Etrusc. p. 42.
12) Museum Cospianum L. III. C. XXX. Fabrett. Inscr. antiqu. Cap. VII. p. 538. num. 387. Gruteri Thes. P. XXI. 6.
13) Ad Virg. Aen. L. IX. u. 560. Aul. Gellius Noct. Attic. L. V. C. XII. Gyrald. Hist. Deor. Synt. II. p. 80.
14) Macrobius Saturn. L. I. C. XV.
15) L. II. C. V.
16) De Prodigiis C. XXXV.
17) Demsterus de Etrur. Reg. L. IV. C. XXIX.
18) Macrob. Saturn. L. I. C. XII.
19) Gyraldus Histor. Deor. Syntagm. III. u. Tab. III. apud. Demster. de Etr. Reg. T. I. p. 78.
20) Ex Varrone L. IV. de L. L.

postea Romani imitati sunt Aegyptios, qui primi accipitrem et aquilam, tamquam diuinae potentiae atque maiestatis insignia Diis suis tribuerunt. 1) Nam Aquila in legionibus Romanis, in consulum sceptris, et in principum tam uirorum, quam feminarum apotheosi locum habuit. 2)

Quod in eadem Tab. IV. fig. 10. occurrit Schema, *Iunonem Argiuam* uidetur referre, cui templum ad ostium Silaris exstruxit Iason. Constat enim Argo nauem in Tyrrhenum et, ut aliqui uolunt, in Adriaticum usque mare uenisse. 3) Aliud templum Iunonis Argiuae prope Veios memorat Fabrettus; 4) et lucum eidem sacrum apud Venetos Strabo 5) Perusini quoque et Falisci Iunonem Argiuam coluerunt, quos Halesus, Etruscorum Rex Iunonia sacra docuit, ut canit Ouidius 6). Huius Deae simulacrum, eximium Polycleti opus, manu altera sceptrum, altera punicum malum tenens memorat Pausanias, 7) ad cuius similitudinem et hoc expressum uidetur. Oculi cum sint inanes, ex auro vel gemmis repositi fuisse uidentur.

Iunonem *Curitim* Falisci quoque, Etruscorum coloni, diuino cultu prosecuti sunt, uti testis est Tertullianus. 8) Ara Iunonis Quiritis, quae apud Faliscos exstat, memoratur a Grutero. 9) In eadem tabula fig. 11. Dea peculiari uestium cultu ornata tenet hastam laeua manu, quae forte ipsam Iunonem Curitim refert.

In eadem Tab. X. fig. 12. relata uidetur *Iuno Regina*, quam Veientes, Falisci aliique finitimi populi tamquam tutelarem Deam uenerati sunt. Non absimilis certe est uestium cultus; praecipue uero diadema Etruscum, radiis duplici ordine distinctum. Blando gestu, quasi in speciem orantis uel annuentis expressa est, qualis describitur a Liuio 10) Iuno Regina, cum, deletis Veiis, Romam fuisset deportata. In Auentino monte celebre templum obtinuit, ac *Moneta* fuit uocata, ut tradunt Ouidius, 11) Valerius Maximus 12) et Lactantius, 13) ea, ni fallor, de caussa, quod relictis Veiis, se in urbem lubentissime migraturam *monuerit*.

Iuno Cupra in Piceno insigne habuit templum ab Etruscis, teste Strabone, 14) conditum; et ab Hadriano Augusto postea restitutum. 15) Ab hac Dea urbs antiquissima Cupra; ut Arna, ab Arna Dea, uti supra diximus, nomen duxisse uidetur.

Iuna Sospita apud Lanuuinos templum habuit uetustissimum, a Diomede Aeneae socio; 16) uel a Pelasgis; 17) uel a Curetibus; 18) uel denique a uetustissimis Latii populis conditum. 19) Cum simulacro, quod Tab. IV. fig. 13. exhibet, perbelle conuenit imago huius Deae, quam describit Cicero: 20) nempe galeatam pelle caprina, cum hasta et scuto, quae uero temporum iniuria interciderunt, (tenuisse tamen ipse gestus innuit) atque calceis repandis ornatam, quos in usu fuisse apud Tuscos ex iam editis constat. Periit etiam serpens sinuosus, cui uirgines ad castitatem suam probandam escam praebere solebant, uti docent Aelianus 21) et Propertius 22).

Iuno Feronia, quam et *Virginem* et *Reginam* dixerunt, apud Etruscos, Sabinos Latinosque templa habuit celeberrima, lucosque uetusta religione inclitos. Aedis Feroniae in agro Tarracinensi ad Circeios sitae, Horatius, 23) Plinius 24) et Seruius meminerunt. 25) Hanc Deam forsitan exhibet simulacrum rarissimum in Tab. V. fig. 1. obuium. Nam Iuno uirginis habitu ac specie apparet, sinistra sceptrum (quod uero temporis iniuria fractum est) tenet; dextra uero uestem, uirginum more bis succinctam aliquantum attollit. Caput peplo uelatum, coronaque foliacea redimitum conspicitur. Cum hoc signo pulchre conspirant, quae de Iunone Feronia tradit Dionysius Halicarnassensis. 26) In hac aede serui, amici Dominis et frugi, teste Seruio, 27) libertatem acceperunt. Plura de hac Dea uide apud Fabrettum 28) et Corradinum 29).

 Hanc

1) Laur. Pignorius in Expos. Mensae Isiac. T. I. n. XI.
2) Pier. Valerianus Hieroglyph. L. XXIX.
3) Athenaeus L. VII. p. 296. Valerius Flaccus L. IV. u. 711.
4) Inscription. C. III. p. 229.
5) L. V. n. 215.
6) Amorum L. III. Eleg. XIII.
7) L. II. C. XVII.
8) In Apologet. C. XXIV.
9) P. CCCVIII. 1.
10) Lib. V.
11) Fastor. L. VI. u. 181.
12) L. I. C. VIII.
13) Diu. Instit. L. II. C. VIII.
14) L. V. p. 241.
15) Gruter. p. MXVI. 2.
16) Solinus C. VIII.
17) Aelian. H. Anim. L. II. C. XVI.
18) Clemens Alexandrin. in Protrept.
19) Corradin. Vet. Lat. prof. L. I. C. IX.
20) De Nat. Deor. L. I.
21) De Anim. L. II. C. XVI.
22) L. IV. El. VIII.
23) L. I. Sat. V.
24) L. II. C. LV.
25) Ad Aeneid. L. VII. u. 799.
26) Antiqu. Rom. L. III. p. 173.
27) Ad Aeneid. L. VIII. u. 564.
82) Inscription. C. VI. p. 451. et sq.
29) Vet. Lat. Prof. L. I. C. IX. et L. III. C. VII.

Hanc *Iunonem Feroniam* referre uidetur simulacrum, quod in Tabula V. fig. 2. exhibetur, ac uetustate signa iam allata longe superat. Erutum est non procul a Thrasimeno lacu. Caput tutulo exornatur, collum torque: tunica scutulis, quasi gemmis et floribus distincta; et circa brachia bullis uel fibulis eleganter adstricta. Calcei digni sunt Iunone, quae, ut Virgilius canit, *incessu patet Dea.* Aures grandes habet: oculos, quales Iunoni tribuit Homerus, bouinis similes.

Iuno Lacinia templum nobile multisque donariis refertum habuit ad Lacinium promontorium, 1) quod a Tuscis fuisse dicatum, exinde licet augurari, quia non longe ab eo fluuius *Aesar*, quam Etruscam esse uocem supra ostendimus. Huius templi, nec non arae et luci, praeter alios meminit Virgilius. 2)

MINERVA.

Dea ueterum Etruscorum, praesertim Surrentinorum, Puteolanorum, Faliscorum, Arretinorum, et Pisaurensium tutelaris.

Mineruae nomen ab Etruscis Romanos accepisse, non sine ratione suspicatur Bonarrotius. 3) Nam, cum apud Graecos nomine plane diuerso *Pallas* aut *Athene* dicatur, in uetustis Tuscorum monumentis *Menrva*, *Munrua*, *Menerua* 4) appellatur. Huc accedit, quod antiqua Tuscorum monumenta Mineruam cum tuba, et galea exhibent; 5) aeque ac Argiui eamdem *bellorum praesidem*, sub nomine Σάλπιγγος Θεᾶς, *Mineruae Tubicinis* coluerunt; cui Hegelaus Tyrrheni filius templum dicauit, ut tradit Pausanias. 6) Apud Campanos quoque, Surrentinos et Puteolanos diuinos honores habuisse Mineruam dubium non est. Surrentum Campanorum habuit promontorium, Mineruae nomine celebre, quod *Athenaeum* Strabo 7) vocat; ubi etiam fanum fuit Mineruae ab Vlysse conditum. In insulis quoque Sirenusis *Minerua Tyrrhena* culta est, quam Tyrrhenorum coloni, qui ea loca ab agro Surrentino ad Silarim amnem tenuere, hoc nomine consecrarunt. Celeberrimi apud Surrentinos et Puteolanos templi meminit Statius. 8) In uase Etrusco *Minerua* conspicitur quadrigarum inuentrix, quae armata galea et hasta graditur iuxta currum Iouis uel Neptuni aurigantis, 9) quam Graeci *Hippiam* siue *equestrem* et *Coresiam* dixere, cui frequens mentio apud Pausaniam. 10) *Mineruam Captam*, quae Faliscis expugnatis Romam fuit translata, ubi ad radices Coelii montis templum habuit, memorat Ouidius: 11) unde coniicere licet, apud Tuscos quoque Faliscos templum Mineruae sacrum fuisse. Ab Arretinis hanc itidem Deam diuinis honoribus cultam fuisse probat simulacrum elegantissimum Arretii inter rudera perantiqui et magnifici templi repertum, quod in Tab. V. fig. 3. exhibetur. Circa imas uestis partes, et in postica fracta est statua, dextroque brachio manca: in uultu uero, in casside, in pectore, quod aegide squamata cum Gorgonis capite munitur, in ueste miro artificio disposita, sinistrumque brachium et manum obtegente, tanta radiat elegantia, ut nil supra esse possit. Oculi caui et inanes indicant, eorum loco gemmas more Etrusco, fuisse repositas. Cassidi superne adrepit serpenticulus. Insigne Cassidis, praeter serpentem pro crista in cono est auis uolanti similis, quam noctuam esse comperi; pedibus ita antrorsum incuruis, quasi praedam sustineat. Etrusci non ad pedes Deae, uti Graecorum Romanorumque mos fuit, sed in capite galeato noctuam posuerunt; pennatum uero eius uerticem effinxerunt, ut summam eius sapientiam indicarent. Aegidis oram undique ambiunt angues sinuosi. Omnis uero omnino ornatus, galea, monile, inaures, Gorgonis caput, diuerso ab aliis modo expressum, ceteraque probant, Etrusci esse opificii hoc simulacrum.

Quod in Tab. V. fig. 14. Obuium est signum, longe uidetur uetustissimum, quod sculptura rudis satis indicat. Deest galeae conus: bucculae mobiles suspensae, aeque ac in altero eiusdem tabulae signo conspiciuntur. Collum torque exornatur; ante pectus pendet Gorgoneum caput, anguibus neque crinitum, neque alatum. Dextera manus perforata est, cuius gestui nil aliud, quam breuem hastam;

1) Strabo L. VI. p. 261.
2) Aeneid. L. III. 552.
3) Ad Monum. add. Demster. §. IV. p. II.
4) In Demster. opere Tab. II. Tom. I. p. 78. Tab. IV. V. VI.
5) Bonarrot. ad monum. Demster. §. XXXI. p. 45.
6) Corinth. L. II. C. XXI.
7) L. V. p. 247.
8) Siluar. L. II. 2.
9) Demster. Tab. LXXIII.
10) In Arcad. L. VIII. C. 47.
11) Fastor. L. III. u. 835.

ſtam; uel potius fulmen aptari poſſe uideo. Clypeum in laeuo brachio olim inſertum indicat prominens ille clauus. Nudis pedibus inſiſtit, triplici ueſte amicta, quae, ut exponit Fulgentius, omnem ſapientiam multiplicem et celatam eſſe declarat 1).

In eadem Tabula V. fig. 3. aliud Mineruae ſignum apparet. Veſtis ſimilis uidetur Ephod Sacerdotis magni Ebraeorum. Nam triplici tunica induta eſt. Interior Graecis Χιτὼν dicta, corpori adhaerens paullo longior eſt, cuius limbus in ſpeciem torquis fimbriatus: altera uero tunica, quae refert poderem, paullo breuior eſt et manuleata. Tunica exterior ſine manicis omnino breuiſſima et ipſa arcta eſt, cuius inſtitam condecorant radii ſiue denticuli, in Deorum ueſtibus apud Tuſcos ornamentum non rarum. In pectore eſt Gorgonis caput alatum. Sub pectore cingitur ſtroppo, quo ad negotia peragenda ſit expeditior. Laneo autem cingulo ornarunt ueteres Mineruam, quod lanificium artemque lanas colorandi inuenerit. 2) Pedes denique Tyrrhenis calceis ſunt induti.

Quod in Tab. V. fig. 4. repraeſentatur ſignum, cum ſit omnium elegantiſſimum, duplici ſchemate delineandum curaui. Galea altiori cono et criſta inſignis eſt, qualem Homerus deſcribit ad terrorem hoſtibus incutiendum. Gorgonis caput non in pectore, ſed, quod raro factum uideas, ad laeuum armum geſtat.

In Tab. V. fig. 5. *Victrix Minerua* expreſſa uidetur. Nam Victoriae formam refert, clypeum ſeu ſcutum manu tenens, in quo non una, ſed duae Gorgones apparent; altera maior; altera minor; quae, ut in aliis Etruſcorum monumentis cernitur, ore exertam habet linguam; ideo quod linguae', id eſt, ſermonis uſus in omni re praeſteat atque excellat.

APOLLO, SOL, MITHRA

ab Etruſcis cultus; maxime uero a Faliſcis, Volaterranis Cluſinis et Peruſinis.

Solis et Lunae cultus, qui in omni Etruria longe fuit uetuſtiſſimus et celeberrimus ab Aegyptiis ad Tuſcos ab iisdem olim profectos peruenit. 3) Solem *Apollinem*; Lunam *Dianam* uocarunt, quibus omnia Deorum attributa conuenire exiſtimarunt. Moneta a Tuſcis ſignata exſtat 4) Apollinis inſignibus, lyra nempe et lupo dormiente, ex quo haud inuita Minerua colligitur, Apollinem Lycium ab iisdem exemplo Aegyptiorum et Argiuorum 5) diuinis honoribus conſecratum fuiſſe. Primi Apollinis cultores uidentur fuiſſe. Faliſci, ad monten Soracten templum ei exſtruxerunt; 6) ſacerdotes et ſacra conſtituerunt. 7) *Malaeoten* uocatum *Apollinem* ſcribit Demſterus, 8) a Malaeote Tuſcorum; uel potius, Strabone auctore, Pelasgorum rege. 9) A Peruſinis porro, aeque ac Cluſinis cultum fuiſſe *Apollinem*, uaria antiqua monumenta, interque ea ara apud ipſos eruta: PRO SALVTE TRIARIAE APOLLINI SAC. probare poſſunt. Tarracinae Apollinei templi rudera eximia deſcribunt Holſtenius 10) et Corradinus. 11) Quid? quod per totam Etruriam, Campaniam, Apuliam, frequentem Apollinis cultum nummi cum eiusdem imagine in his regionibus cuſi abunde teſtantur.

Simulacrum in Tab. V. fig. 6. conſpicuum, toto corpore nudum eſt: caput habet laureatum, ſiniſtrum brachium torque et armilla exornatum; e brachio dextro breue amiculum pendet. Femur et tibia Etruſcis litteris ſunt inſcripta, quarum interpretationem alio loco adferemus. Siniſtra manu, quae intercidit, lyram tenuiſſe auguror: hanc enim indicat plectrum, quod gerit manu dextra. Non ſolum autem Statuarii; ſed etiam Pictores Etruſci Apollinem in uaſculis pinxere cum lyra adparentem concinentibus ſibi Paeana, ut oſtendit Bonarrotius. 12) Vnde augurari licet *Apollinem Nomium* Etruſcis quoque non ignotum fuiſſe, ad quorum exemplum Arcades, qui, teſte Demſtero 13) Etruriam incoluere, *Nomionem* 14) appellarunt. Nominis huius originem ἀπὸ τῶν νόμων Μȣσικῶν, *a modis Muſicis*

E

1) Mytholog. L. II.
2) Gyrald. Synt. Deor. XI.
3) Jo. Marshanum uid. Saecul. IV.
4) Apud Demſter. Tab. LX.
5) Pauſan. in Corinth. L. II. C. XIX.
6) Virgilius Aen. L. XI. u. 785.
7) Plinius in Hiſt. Nat. L. VII. C. II.
8) De Etrur. Reg. L. I. C. XVII.
9) Lib. V. p. 225. 226.
10) Ad Cluuerium p. 1013. lin. 8.
11) Vet. Lat. Prof. L. II. C. XX. p. 214.
12) Tab. LXIII. in §. XXII. p. 30. 31.
13) De Etruria Regali. L. I. C. VI.
14) Cicero de Nat. Deor. L. III.

dis deducit Suidas. 1) Laurea ornatum Tusci eum exhibuerunt, quod uaticiniis praeesse; 2) laurumque primus inuenisse dicebatur. 3) Nam lauro uim diuinandi ueteres tribuerunt. Ex hoc igitur signo aeque ac illo altero, quod in Tab. V. fig. 7. exhibetur, coniicimus, Apollinem a Tuscis pro Musicae inuentore habitum fuisse. Nam in hoc quoque dextra peculiaris formae plectrum; sinistra lyram tenet. Caput diademate est reuinctum. Capilli rarissimo apud Romanos et Graecos exemplo breuissimi sunt, atque in gyrum adtonsi. Palla, uel potius toga quadrata est, ampliore sinu sub dextro brachio concinnata; quo ad pulsandam lyram esset expeditius, ac super laeuum humerum post tergum reiicitur. In extremo limbo scutula undique caelata, quasi gemmae internitentes uisuntur, quo eius cultus esset augustior. Pedes calceis puris sunt ornati, quibus perparuus soccus subiicitur, ut a Citharoedis in scena factitatum, consuetudine ab Etruscis forte accepta, qui Citharodiae omniumque acroamatum inuentores praestantissimi apud Italos fuerunt.

In eadem Tab. V. fig. 8. Apollo sinistra manu tauri caput gestat, quod licet forte numquam alibi uisum, perbelle tamen ipsi conuenit, ut docet Macrobius. 4)

In simulacro, quod in Tab. V. fig. 9. est obuium, illud in primis est obseruatione dignum, quod caput breuissimo factum est capillitio, duplici corona redimitum, nimirum sacra taenia seu filamine et radiis, qui totum circumdant, non prominentes, sed crinibus adhaerentes, in eam speciem, quam hic expressam uidemus. Duplex coronae genus Tuscorum inuentum, e diademate et radiis compositum, recte conuenit Apollini, quem eumdem esse solem crediderunt. Congruit eius imago cum prisca Theologia. Nam fingitur iuuenta decorus, nudo pectore, quod omnia perlustret, ac luce sua compleat: nudis pedibus, quod cursu omnium siderum sit uelocissimus. 5) Amiculo teguntur inferiores partes corporis, quod nocturno tempore se occultet, alterumque hemispaerium illustret. Hac forma Tusci Deum *Mithram*, in cuius honorem sacra *Mithriaca* ab ipsis sunt celebrata, effinxerunt 6) *Mithras* quidem apud Persas, a quibus eius cultus ad Tuscos aliasque gentes manauit, cum leonis capite fuit effictus. 7) At in hoc Etrusci tam a Persis, quam Aegyptiis discedunt, quod Diis suis uultus humanos potius, quam ferinos tribuerunt.

DIANA:

Tuscorum Dea, ab Iguuinis, Lunensibus, Clusinis, Faliscis, Campanis, aliisque Etruriae populis praecipuo honore culta.

Dianae cultum inter Consentes Deos apud Etruscos quoque antiquissimum fuisse et celeberrimum, antiqua monumenta testantur. Exstat pondus ex aere ab Iguuinis fusum, seu Numisma, 8) in quo Luna et astra tria (quartum uetustate est extritum) apparent: in altera uero parte, rotae simile radiatum diadema conspicitur. Quae quidem insignia *Lunae* seu *Dianae* perquam adcommodata clare euincunt, Iguuinos impensius aliis hanc Deam coluisse. Idem uero de *Lunensibus* quoque potest existimari, qui et nomen suum ab hac Dea acceperunt: et caseos (forte etiam numismata) Lunae nota signarunt. 9) Apud *Clusinos* insigne templum dedicatum *Dianae*, testantur insignes, quae supersunt columnae prope Cathedralem Ecclesiam, quarum etiam non paucae ejusdem Ecclesiae fornices subfulciunt; et ara a Grutero edita, 10) quam Ordo splendidissimus Clusinorum Virgini Dianae pro salute Imperatoris L. Septimii Seueri sacrauit, inque eiusdem Deae templo, ut credibile est, collocauit. Apud Nepesinos et Faliscos Dianae cultum obtinuisse euincit ara uetustissima apud Gruterum, 11) in qua magnifico prorsus titulo *Compotentem* eam appellarunt. Nec minus uero insignes illi Tuscorum coloni, Tudertes, 12) Numani, 13) Ocriculani, 14) Tiburtini, 15) Rauennates 16) hanc Deam diuinis honoribus prosecuti fuerunt.

Dianam a montibus Capuae imminentibus *Tifatinam* uocatam, sacrumque eius cultum fuisse, cum antiquae arae *Dianae Tifatinae* dicatae; 17) tum ueteres scriptores, Velleius Paterculus 18) et Pausanias

1) In u. Νόμοι κιθαρῳδ.
2) Eusebius in Praep. Euang. p. 112.
3) Diodor. Sic. L. I.
4) Saturnal. L. I. C. XXI.
5) Id. L. I. C. XVII.
6) Bonarrot. ad Mon. addit. Operi Demster. §. XXIV.
7) Phil. a Turre de Mithra C. I. sq.
8) Vid. Demsterianum opus Tab. LIX. num. IV.
9) Martial. L. XIII. ep. XXX.
10) P. XL. II.
11) P. XLI. II.
12) Inter Gudian. Inscr. P. XXVII. 9.
13) Ibid. P. XXVII. 8.
14) Ibid. P. XXVIII. I.
15) Apud Gruter. p. XLI. I.
16) Inter Gudian. P. XXVIII. IX.
17) Inter Gudian. P. XXVI. 7. uid. et Reines. Cl. VI. n. 91.
18) L. II. Histor. n. XXV.

nias 1) confirmant. Pauciffima in celebrioribus Etruriae Mufeis reperiuntur Dianae fimulacra, quae non obfcuros Etrufci artificii charaćteres prae fe ferunt. Tria haec, quae in Tab. V. fig. 10. 11. et Tab. IV. fig. 1. 2. confpiciuntur, perrara funt, atque omnino infignia. Quod in Tab. V. fig. 2. eft, Dianam non leui coniećtura referre uidetur. Nam dextram manum in eum geftum conformatam habet, ut arcum, uel fagittam, quae uero intercidit, tenuiffe uideatur. Accedit ueftis fuccinćta, poplite tenus fufa, quam laeua manu attollit: adde nudos pedes, qua fpecie Dianam in antiquis fculpturis non raro expreffam cernimus. Capilli, quod Graeci numquam fecere, ualde prolixi, in fine tonfi, elegantique artificio difpofiti obferuantur. Veftis in uarios finus eft concinnata, in cuius limbo quaedam ornamenta funt infculpta, quae Tufci artifices inuenere; quaeque ueteres *Maeandra* 2) vocarunt, quod flexibus tortuofis amnem hoc nomine et natura celebrem imitentur.

Nec minus obferuatione digna eft Protome, quae in Tabula VI. fig. 1. exhibetur. Dianam referre arbitror, quodam ornamenti genere nondum uifo condecoratam; in quo quidem Aegyptios, additis tamen aliis de fuo ornamentis, imitati Tufci uidentur. Inufitatum etiam cultum praefert ueftis, circa papillas in eum modum concinnata, quafi cornu copiae pro bulla e collo pendens adpareat. Infuper eidem Protomae quoddam πάρεργον additum, quafi Dea uel throno uel lectifternio impofita uideatur.

In eadem Tab. VI. fig. 2. *Dianae Lampadiferae* Protome exhibetur. Caput diademate eft reuinćtum, lemnifcis dependentibus. Alae in humeris uolanti fimiles, ad indicandum uelociffimum Lunae curfum. Dianam hanc ueterum Etrufcorum *lampadiferam* cognominaui: quia poft humerum finiftrum non pharetram gerit, fed copiae cornu uacuum, quo in ufum lampadum ueteres Tufci ufi funt, itemque Romani; ut in fepulchro ferui Lampadarii Caefaris apud Fabrettum 3) uidere licet. Nam in cornu uel oleum, uel alia materia ad efficiendum lumen apta immittebatur. Tufci Dianae, tamquam infigne, lampada dederunt, quod noćtu luceat, et quafi diem efficiat 4).

NEMESIS.

Tufcorum Dea, praefertim uero Cortonenfium.

Nemefis, quam ueteres Solis poteftatem; uel Dianam effe crediderunt, 5) a plerisque Orientis populis uetuftiffima religione fuit confecrata. Ob fummam eius in res humanas uim atque imperium, *Fatorum praefidem*, *arbitram rerum* dixerunt; 6) eamdemque ob fummam uelocitatem, qua omnibus adeffe credebatur, alatam effinxerunt. 7) Nemefin a Tufcis quoque fuiffe cultam, primus omnium oftendit Bonarrotius ex infigni patera, in qua fculpta eft Dea gemmato diademate coronata, cum inauribus, torque et armillis, alis quoque inftrućta, quae cum Iunone et Minerua, Herculem in Deorum numerum relatum comitatur. Adfcriptae funt capiti eius litterae *Ethis*, quibus fortaffe *tempus*, *aeternitas*, iudice Bonarrotio, fignificatur; quod nimirum homines ob uirtutem ac res praeclare geftas immortales atque aeternos faciat.

Quod in Tabula VI. fig. 3. occurrit fignum, Nemefin referre puto, cui ueteres Gryphem, uti foli, tribuerunt; eiusque currui binos et quaternos gryphes iunxerunt, quod et ipfa e caelo omnia confpiciat, nocentes puniat, bonis praemia largiatur; qua de re memorabilis locus eft apud Macrobium. 8) Manibus ad pećtus admotis haec Dea effićta eft, quo modo etiam Aegyptii Deos auerruncos fcelerumque uindices repraefentarunt. Praeterea omnia diuinae poteftatis infignia addita funt: capiti radiatum nimbum, feu diadema impofuerunt: peplo caput et humeros uelarunt: ueftem gemino cinćtu pulcherrimam, alasque diuinae uirtutis et maieftatis indices tribuere. Etrufcos plures *Nemefes* coluiffe, inferius ex infigni patera declarabo.

Prae ceteris Cortonenfes *Nemefin* ueneratos fuiffe, Gryps aeneus in agro Cortonenfi repertus quodammodo probat, quem ei dedicatum fuiffe exinde coniicimus, quod Gryps Nemefi facer eft.

1) In Eliac. L. V. C 12.
2) Virgil. Aen. L. V. u. 251. uide etiam Seruium in L. IV. n. 137. Tertullian. de Pallio C. IV. Ruben. C. II. n. 550.
3) Infcript. C. IV. n. 309.
4) Vide, quae notat Reinefius de Diana Lucifera Synt. Cl. I. n. 57.
5) Macrob. L. I. C. XXII. De Nemefi plura habes apud Bonarrotium in Obferuat. in Numifmata max. mod. Tab. XII. n. 3. p. 244.
6) Vide Ammiani Marcellini defcriptionem L. XIV. C. XI.
7) Vid. eumdem Marcellinum ibid.
8) Saturnal. L. I. C. XXII.

AESCVLAPIVS.

Etruſcorum, praecipue Cortonenſium, Arretinorum, & Cluſinorum tutelaris Deus.

Aeſculapii cultum apud Aegytios et Phoenices, ob inuentam ab eo apud ſe medicinam celeberrimum fuiſſe, Pauſaniae, 1) Plinii, 2) aliorumque ueterum ſcriptorum teſtimoniis conſtat. 3) Ab hiſce ſolertiſſimis ſiderum naturaeque perſcrutatoribus Tuſci Aeſculapii ſacra didiciſſe uidentur: quod antiqua monumenta probare poſſunt. Arula certe tripus ad ſuffitus adolendos in agro Cortonenſi nuper reperta, donarium in templo Aeſculapii fuiſſe uidetur; ſiquidem columellae adrepit ſerpens, et per eam ſcandunt inſidentque crateri cornices, quae in Aeſculapii tutela eſſe dicuntur. Eiusdem Dei et Hygiae apud Arretinos cultum teſtatur ara nuper inter Gudianas 4) edita. De Cluſiniorum cultu conſtat ex alia iisdem Diis dedicata ara. 5)

In Tabula VI. fig. 5. repraeſentatur Aeſculapius, imberbis, togatus potius, quam palliatus et ſine baculo, qua ſpecie etiam cernitur in alio ſigillo apud Pignorium. 6) Oculos uel gemmeos, uel aureos habuiſſe indicant cauitates, quae in oculis apparent. Dextra ſerpentem in uarios ſinus circumuolutum tenet: ſiniſtra uero globum, ad indicandam ueterum medicorum aſtrologiae ſcientiam, cuius ope ſiderum benigno malignoue influxu cognito, melius aegrotorum ſaluti conſulerent. Pedes nudi ſunt: caput tutulo turbinato tegitur, qui conchylium referre uidetur. Quod uero obſeruatu eſt digniſſimum, non humanas, ſed caninas aures habet. Huius rei cauſſam affert Feſtus. 7) *In inſula (Tiberina) Aeſculapio facta aedes fuit, quod aegroti a Medicis aqua maxime ſuſtententur: eiusdem eſſe tutelae draconem, quod uigilantiſſimum ſit animal: quae res ad tuendam ualetudinem aegroti maxime apta eſt. Canes adhibentur eius templo, quod is uberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic gallinae immolabantur.*

MERCVRIVS.

Etruſcorum Deus, praecipue uero Arretinorum, Mediolanenſium, Brixienſium, Mantuanorum, Mutinenſium, et Firmanorum.

Mercurii religioſum apud Etruſcos cultum et antiqui ſcriptores, 8) et eorumdem monetae, quae Mercurii inſignia praeferunt, declarare poſſunt. Accedunt duae paterae inſignes aereae a Demſtero editae Tab. III. et IV. in quarum una litteris Etruſcis *Purms*, id eſt *πυρέεις facifer*: in altera *Turan*, quaſi *θυραῖος Oſtiarius* appellatur: quo nomine Ianus uocatur apud Macrobium 9) idemque ac Mercurius et Apollo eſſe dicitur; eo, quod omnibus ianuis praeſit. Etruſci eodem cognomine uidentur uocaſſe Mercurium, quod et ipſum crediderunt ianuae caeleſtis et inferae praeſidem, eiusque forſitan ſimulacrum non ſecus ac illud Iani ad fores aedium, in atriis, in ueſtibulis, in portis arcium, et in aditu aulae regum ſtatuerunt. 10)

Mercurium Etruſci dixerunt etiam Caſmillum et Camillum, hoc eſt *Deorum miniſtrum*, ut Macrobius, 11) Apollonii uetus interpres, 12) Feſtus, 13) aliique auctores prodiderunt. Hunc Deum, inter Cabiros a magnitudine ſiue potentia ita uocatos alii memorant. 14) Accedunt praeter monetas et pateras, aerea Etruſcorum ſimulacra, e quibus rariſſima tantum maximeque inſignia adferre uolui. Primum, quod refert Tabula VI. fig. 6. Mercurium repraeſentat, ut opinor, regni caele-

1) In Achaic. L. VII. C. XXIII.
2) L. VII. C. LVI. uide etiam Clementem Alexandrin. Stromat. L. I. p. 307.
3) Vid. Io. Marsham. ſaecul. I. p. 40. 41. 42.
4) P. XLVI. n. 2.
5) In P. II. Inſcription. antiquar. quae exſtant in Etrur. Vrbib. p. 404. n. 5.
6) In Symbol. Epiſt. XIII. p. 48.
7) Lib. IX.
8) Vide Bonarrotium ad Monum. addita Demſtero §. VIII. p. 14. et Dionyſ. Halic. L. I.
9) Saturn. L. I C. IX.
10) Suidas in u. Ἑρμῆς.
11) Saturnal. L. III. C. VIII.
12) Apollonii Interpr. in L. I. Argonaut.
13) Feſtus Camillum puerum ingenuum uocatum ſcribit; ad quem locum uide Dacerium.
14) Voſſius de Orig. et Progr. Idolol. L. II. C. LVII.

caelestis et inferni Genium, qui animam uel ad caelum, uel ad inferos defert: quam coniecturam opinio Pythagorae, quam in eius uita refert Diogenes Laërtius, 1) mirifice confirmat; ubi Ἰαμίας Ἰῶν ψυχῶν, *quaestor animarum* uocatur, qui puras animas in excelsum ducat; impuras uero ad Furias, a quibus duris uinculis uinciuntur. Quod cum Tusci quoque crediderint, uero haud absimile uidetur, Pythagoram, qui plurima religionis arcana ab Aegyptiis hausit, Etruscos quoque ueterem Theologiam sapientius reliquis philosophis docuisse. Eorum certe uirorum doctorum sententia proxime ad ueritatem accedere uidetur, qui ab Astronomis et Philosophis uetustissimis Idololatriam originem duxisse arbitrantur. Mercurius expansis alis, quasi in caelum uolaturus, in hac imagine repraesentatur, nudo capite, sine pileo, uirginem, quam indicat uirginalis palla, ulnis ferens: quam quidem uirginem ob radiatum nimbum ipsam dixerim Proserpinam, quam Tusci ab inferis euocatam, atque in caelum reductam a Mercurio commenti sunt. Quae Mythologi hac de re tradant, uide apud Phurnutum 2) et Pindari Scholiasten. 3)

In Tabula VI. fig. 7. Mercurius toto corpore nudus, alato galericulo instructus exhibetur, orbique alato insistit. Dextera perparuum cornu pomorum florumque copia, et arborum foliis refertum; laeua uera ardentem lampadem tenet. Globus, index orbis terrarum, non Mercurio solum, uerum etiam Ioui, Serapidi, Apollini, Veneri, Victoriae, Fortunae multis de causis subiicitur. Mercurio autem tribuitur, quod Philosophi uetustissimi eum mundi parentem crediderunt. 4) Alas autem addiderunt, quia mundum ipsum Deum esse, uel animatum quid in se habere censuerunt. Symbola huic simulacro addita possunt etiam triplicem Mercurium, *Caelestem*, *Terrestrem* et *Inferum* referre, de quo uideri potest Museum Florentinum. 5) Ex hoc simulacro denique colligi potest, Etruscos Mercurium et Apollinem eumdem credidisse; atque Aegyptiorum exemplo, ut diserte docent Plato in Phaedro et Iulius Firmicus, Mercurium Geometriae, Astronomiae, et Haruspicinae auctorem atque parentem habuisse. 6) Arretini, 7) Mediolanenses, 8) Brixienses, 9) Mantuani, 10) Mutinenses, 11) Firmani, 12) qui Etruscorum coloni fuere, ut ostendit Demsterus, 13) Mercurium diuinis honoribus prosecuti fuerunt.

MARS CAMVLVS

Etruscorum Deus, praesertim Larinatium, Faesulanorum, Tudertium, Lanuuinorum cet.

Martis nomen non ab alia natione, quam Etrusca, Latinos et Romanos accepisse uerisimillimum est. Constat enim Oscorum lingua, 14) quae est Etruscae dialectus, Mamertem appellatum fuisse; unde postea per contractionem nomen *Mars* deriuatum est. In uetustis aris saepius occurrit *Mars Camulus*, quam uocem Sabinam putant uiri docti, eo quod in antiquis monumentis apud Sabinos repertis saepius occurrat. 15) Fortassis *Camulus* significat *ministrum materiae*; a uoce Etrusca *Casmilo* siue *Camilo*; unde factum *Camulus*, quae interpretatio conuenit cum alio *Martis* cognomine, nimirum Siluano, cui uota facta in silua memorat Cato, 16) quod siluis praeesset; siue, ut explicat Jo. Ger. Vossius 17) uim suam exerceret in uniuersam elementorum ὕλην, siue materiam. Rariora sunt Martis simulacra in Etruscis Museis: nam ea, quae hastam iaculantur, non *Martem*, sed Heroas; uel Lares Auerruncos repraesentant.

Quod in Tabula VI. fig. 8. conspicitur signum, *Martem* referre uidetur. Thorax e pluribus loris est consutus, galea altiori cono instructa, suspensis bucculis, torques collum circumdat, tresque baltei, pectus exornant. Dextra manus in quiete posita est, sinistra hastam gerit.

In eadem Tabula VI. fig. 9. et 10. Martis signum uetustissimum conspicitur. Deus hic togatus, Tyrrhenis calceis indutus, pectore et capite nudo, absque thorace et galea expressus repraesentatur. Capilli sunt prolixi, in fine adtonsi, atque in duas partes post humeros dispertiti, quod Tusci prima sculpturae infantia factitarunt. Dextera gladium incuruum, qualem adhuc Orientis populi retinent, demissum

F

1) L. VIII. Sect. XXXI.
2) De Natura Deor. C. XXVIII.
3) Olymp. VI.
4) Vid. Marsil. Ficinum ad Ennead. III. L. VI. Plotini p. 302.
5) Tom. I. Class. IV. Tab. LXX. LXXI. a pag. 136. ad pag. 146.
6) Ibid. Cl. IV. p. 143. 144.
7) Iulius Obsequens C. XII.
8) Horum aras Mercurio sacras adfert Gruterus p. LI. 2. LIII. 3. 7.
9) Idem p. LII. 7. MLXVII. 10. 11. 12. 13.
10) In Gudian. p. XXXVI. 7. Gruter. LV. 3.
11) Ibidem et in auctariis.
12) Ibid. p. L. II. II.
13) De Etrur. Reg. L. I. C. IX. L. II. C. XII. L. IV. C. CXIV. CXVI.
14) Vide Demster. de Etrur. Regib. L. I. C. XXI. et XXVI.
15) Gruter. p. LVI. n. II.
16) De re rust. Cap. LXXXIII.
17) De Orig. et progr. Idolol. L. II. C. XIII.

missum gerit, quasi post caedes et bella quiescentem: fere *harpen* dixeris. Etruscorum more stroppo, uel serico torque collum eius ornatur.

In eadem Tabula VI. fig. 12. aliud Martis signum est, in quo id maxime obseruatu dignum, quod ocreas habet, et clypeum quadratum; itemque galeam clausam, quae arma apud ueteres Tuscos ualde in usu fuerunt; ut ex multis aliis antiquis monumentis constat. 1)

In Tabula eadem fig. 11. aereum proponitur Martis caput, simulacro suo auulsum, quod propter galeae fabricam rariorem est obseruatione dignum.

Martem eximia religione coluerunt Etrusci, apud quos etiam, ut uidetur, commune cum Bellona templum et aram ubique habuit. 2) Celebris inprimis eius cultus fuit apud Larinates in Apulia antiquissimos celeberrimosque: 3) apud Faesulanos, quod marmor in Faesularum ruinis inuentum euincit. 4) Praeterea in his quoque locis cultus est *Mauors*, ubi postea urbs splendidissima Florentia condita est, quae primum Tusci incoluerunt. His addi possunt Tudertes, Spoletini, Capenates, Genuenses, Lanuuini, Tusculani, Tiburtini, aliique Etruriae populi nobilissimi, qui Martem omnes praecipuo cultu honorarunt; 5) uti antiquae arae iam editae testantur.

VENVS

Etruscorum, maxime Volaterranorum, Veientum, Tusculanorum &c.

Quanta fuerit Etruscorum antiquiori tempore continentia atque disciplina, testis est Vitruuius, 6) qui, cum loca templis Deorum exstruendis idonea luculenter exposuisset, Fanum Veneris ex disciplina Haruspicum Etruscorum extra moenia dedicari solitum scribit; ea maxime de caussa, ne adolescentes ac Matres familiarum libidine corrumperentur. Etrusci, qui loca circa Florentiam tenuerunt, Venerem insigni templo decorasse creduntur; quod confirmare uidetur statua marmorea huius Deae in iis ipsis locis reperta; editaque a Demstero Tabula XLIII. Ornata est Dea torque serico, ac duplici armilla in sinistro brachio, tenetque sinistra manu sacram columbam, qua indicat, se esse uim generatricem inferioris naturae. 7) Addita est inscriptio Etruscis litteris *Thana Larthial*, quae uerba significare uidentur: *Dea* seu *Diua Regina*. *Thana* enim a Graeca uoce Θέαινα descendere uidetur. *Larthial* autem exponendum est *Regina*, quemadmodum *Lartes*, *Rex* est: ut *Lartes* Porsena. Post tempora Numae Venus in urbem recepta est, quam *Frutam*, seu *Fruti* appellarunt; quod nomen ex Graecorum Αφροδίτη detruncatum censet Scaliger. 8) Templum ipsi dedicatum inde dictum *Frutinal*. 9) Marquardus Gudius marmor affert inscriptum *Veneri Frutae Iucundae*, in quo etiam memoratur *Frutinal* ei dedicatum. 10)

Venus dicta quoque fuit *Murcia*, a qua urbs olim haud obscura *Arae Murciae*, in agro Veientum nomen accepit. *Murciae* Deae sacellum sub Auentino monte, qui antea *Murcus* uocabatur, memorat Festus. 11) Hanc summa religione coluerunt Etrusci, ut multis probat Demsterus. 12) *Venerem Murciam* referre uidetur simulacrum a Tusco quodam artifice elegantissime effictum et in Tabula VII. fig. 11. expressam. Hoc Cortonae fuit inuentum una cum aereo Gryphe Etruscis litteris signato, ex quo coniicitur, Venerem apud Cortonenses quoque sua sacra habuisse. *Venus* adeo *Murcia* παςόφιλος, *thalami amica*, iacens efficta est ac dormiens, totoque corpore nuda, nisi quod amiculum uelat dextrum femur et crus. Capilli in fronte concinne dispositi, post terga soluti uisuntur. Caput exornat galericulus cum praealto tutulo, efformatque in anteriore parte mitellam siue diadema, eximium frontis decus, cum alis utrimque expansis. Veneris Μορφᾶς apud Lacedaemonios meminit Pausanias: 13) sedens, cum καλύπτρα in capite, pedesque compedibus adstricta effingebatur; quibus innuitur, coniuges erga maritos suos firma fide esse oportere.

In Tabula VI. fig. 13. Est sigillum, quod Venerem exhibet superiore corporis parte nudam; inferiore autem ueste tectam. Pedes sunt induti Tyrrhenis calceis: dextra columbam tenet, nisi potius illa auis perdix alba Veneri sacra. 14)

Rarissima

1) Vide Demster. Tab. XLVIII. et LXXVIII.
2) Vid. Inscript. Gudian. p. XXXVI. 9. et XXXVII. 1.
3) Memorantur a Cicerone in Orat. pro Cluentio, a Liuio, Plinio, Silio.
4) In Part. II. Inscript. Etrur. p. 93. n. 2.
5) Vide inter Gudianas XXXVIII. 8. Gruterianas P. LVI. 7. LVII. 2. Donianas Cl. I. n. 44. 46. 51.
6) De Architect. L. II. C. 7.
7) Vossius de Idololatr. L. II. C. 27. p. 163.
8) In not. ad Festum p. 65.
9) Festus in u. Frutinal.
10) Inscription. P. XXXIX. n. 2.
11) In u. Murcia.
12) De Etrur. Reg. L. IV. C. 55.
13) In Laconic. L. III. C. 15.
14) Aelianus de Animal. L. X. C. 33.

Rarissimum est exquisitoque artificio pulcherrimum signum, quod Tabula VI. fig. 14. exhibet. Tunica succincta militari induta est Dea, quam in utroque humero bullae obfirmant: ceterum nuda, pedibus sandaliis Tyrrhenis indutis; capite uero tecto galea, qualem in usu fuisse apud Etruscos, forma Tusci militis probat Demsterus Tab. LXXVII. LXXVIII. Fortassis Venerem sistit armatam, quam Romani Cluacinam: 1) Graeci, maximeque Lacedaemonii ὁπλισμένην, 2) ὁπλοφοροῦσαν, 3) Cyprii ἐγχειον *hastatam* appellarunt. 4)

Veneris simulacrum omnium absolutissimum est, quod e Mediceo cimeliarcho exhibetur in Tab. VI. fig. 15. Tusci artificis esse uidetur, multo ante Praxitelem tempore confectum. Cum enim Graeci statuarii Venerem nudam effingentes, eam expresserint quasi oblitam sui, laeua manu semireducta, pudenda abscondentem: 5) haec Etruscorum Venus laeuam manum suspensam tenet, tamquam in admiratione defixa ac stupens. Dextera pomum ostentat, indicem suae pulchritudinis, qua Iunonem et Mineruam, Paridis iudicio superauit; quae fabula frequens est in antiquis Etruscorum sculpturis. Crines habet partim eleganter dispositos, partim solutos. Oculis efficta est paetis, diductoque ore paullum subridens. Basi insistit pede dextro „ laeuumque suspensum aliquantulum tenet, quod contra a Graecis artificibus factum constat. Denique obseruandum, aures ei esse perforatas, quae indicare uidentur, inaures pretiosissimas olim eisdem appensas fuisse. Arretinos Tuscos Veneri templum sacrasse, ex locorum quorumdam nominibus probare conatur Redius. 6) Certe Tifernates Tiberinos templum *Veneri Victrici* dedicasse lapis antiquus, 7). euincit.

AMOR

triplici forma ab Etruscis cultus.

Amorem siue Cupidinem ab Etruscis, exemplo Graecorum, diuinis honoribus cultum fuisse, signa haec in Etruria inuenta ostendunt. Principem locum in T. VII. tenet aheneum Amoris simulacrum in agro Pisaurensi repertum, a Tusco artifice confectum. Currenti similis effictus est, ac non solum humeros, sed caput quoque alis habet instructum. Cum uero alae in capite Mercurio tribuantur, insuperque Protoma imposita sit bicorni Lunae, non male quis coniicere possit, referre hoc signum *primum* illum *Amorem* ex Mercurio et Diana natum, cuius meminit Cicero 8). Praeterea torquis e collo pendens, quernis foliis undique distinctus conuenire potest Mercurio, cui ueteres Tusci copiae cornu floribus pomisque refertum, propter eius sideris beneficum in hanc terram influxum, ex ueterum Astrologorum sententia, tribuerunt. Etrusci artificii esse utrumque signum exinde patet, quod is ornatus in simulacris Graecorum Latinorumque artificum non occurrit. In altero signo, quod exhibetur n. II. Tab. VII. fig. *Amor* alatus sistitur: ita tamen, ut alae non capiti, sed humeris innexae conspiciantur. Cumulus capillorum supra caput, uitta contra Graecorum morem est religatus. E collo pendet torquis Etrusco more decussatus. Vtrumque brachium armilla est ornatum duplici. Vtramque manum ad pectus coniungit, sinistraque auiculam tenuisse uidetur, quae uero temporis iniuria est labefactata, ut non tam clare appareat.

Aliud elegantissimum simulacrum in eadem Tab. VII. fig. 4. *Anterotem* referre uidetur, quem Cicero Marte et Venere tertia genitum tradit. Martis enim instar armatus apparet Tusca casside altioris coni, thorace et ocreis. Bulla ante pectus pendet Etruscorum artificum more. Globo insistit currenti similis, qui quidem utrum antiquus sit, an adscititius compertum non habemus. Primus autem Graecorum Bupali pater alas *Amori* et *Victoriae* addidisse dicitur, 9) in quo eum uetustissimos Tuscorum opifices imitatum fuisse auguratur Bonarrotius. 10)

 VICTO-

1) Plinius L. XV. C. 29. Gyraldus Synt. XIII.
2) Pausanias in Lacon. L. III. C. XV.
3) Apollonius L. I. Argonaut.
4) Hesychius.
5) Lucianus in Amor. Dial.
6) P. II. Inscript. antiqu. Etrur. p. 222.
7) P. II. Inscript. ant. Etrur. urb. p. 341.
8) De Nat. Deor. L. III.
9) Aristoph. Scholiast. in Auib.
10) Ad monum. addit. Demster. §. 1. p. 8.

VICTORIA.

Etruscorum Dea, praecipua religione a Nolanis et Brixiensibus culta.

Signum eximiae elegantiae pulchritudinisque, quod in Tab. VII. fig. 5. conspicitur, *Victoriam*, quam ueteres Tusci, eorumque exemplo Graeci alatam fecerunt, exhibet, gradienti pariterque uolanti similem. Ex eo manuum gestu, coronam, uel uittam, uel etiam phaleram praetulisse uidetur, uictorum fortium praemium; ut ex simili eiusdem Deae imagine colligi potest, quam pictam uidere licet apud Demsterum Tab. XLVIII.

Nolanos prae omnibus Etruriae populis, *Victoriam* summa religione coluisse; *Augustam*que ab *auctu*, uel ab auium *gestu gustuue* 1) uocasse, ueteres inscriptiones *Victoriae Augustae* a Nolanis Brixiensibusque factae possunt comprobare. 2)

VESTAE

cultus antiquissimus, Etruscis cognitus, adstruitur.

Vestam olim ab Etruscis cultam fuisse, ueritati ualde consentaneum uidetur, quamquam nullam eius rei apud ueteres scriptores mentionem reperimus; siquidem Cererem iidem perquam religiose coluerunt. *Vesta* autem eadem cum *Terra* habita est, Saturni et Rheae filia, Vrani uxor, cuius soror fuit Ceres et Iuno: ipsa uero natu maxima credita ex ueterum Theologorum traditione. Fabius Praetor Iani uxorem facit, diuque ante Romam conditam summa ueneratione a Tyrrhenis cultam fuisse testatur Myrsilus Lesbius (si qua fides his auctoribus adhibenda est, quos tamen citant Gyraldus 3) et Rosinus 4) aliique) qui eam quoque, Tyrrhenorum lingua, *Labith*, *Horchiam* cognominatam scribit: quam appellationem, Herodoto auctore, et apud Scythas habuit. Ceres et ipsa Tellus est; sed quatenus fertilis ac frugifera: Vesta uero eadem ac Terra, quae uniuersum orbem complectitur, utpote *ignis potens*; qui tenet medium mundi locum: quo omnia constare uetustissimi Philosophorum censuere. 5)

Tusci, teste Festo, ignem appellarunt *Verse*: quem exemplo populorum Orientalium atque Graecorum, eos coluisse credibile est. Ad probandum *Vestae* cultum apud Etruscos plurimum porro facit Numa Rex, Curibus Sabinorum oppido ad Romanum imperium accitus, qui Etruscorum rituum peritissimus sacra religionis ad Tuscorum exemplum instituit; ac praeter uarios sacerdotum ordines, VESTALES quoque uirgines adlegit, eisdemque curulem sellam, lictores, fasces, quae insignia Tuscorum erant propria, concessit. 6) Denique Pythagorae ualde addictum fuisse Numam, ueterum monumenta nos dubitare haud sinunt. Iam uero Pythagoraei, in medio terrae ignis sedem locarunt, eamque Ἑςίαν *Vestam*, et Μονάδα *Vnitatem* nominarunt. Hanc *Vestam* forte referre possit simulacrum maximae uetustatis aheneum, duplici schemate delineatum in Tab. VII. fig. 6. quod in multis cum antiquissimis Aegyptiorum simulacris conuenit; Tuscam tamen artem probat in duplici amiculo, pro fimbria, undique radiis ad oram exornato. Ipsa Dea tunicam sinistra attollit: calcei sunt repandi, quales Tusci honoris caussa Diis dederunt.

1) Suetonius in uita August. C. VII.
2) Gruterus p. MLXXV. 7.
3) Histor. Deor. Synt. IV.
4) Antiquit. Rom. L. II. C. 12.
5) Phurnutus de nat. Deor. 28.
6) Demster. de Etrur. Reg. L. III. C. 24.



CERES

in tota Etruria templis arisque culta.

Omnem insulam Siciliam *Cereri et Libero* fuisse consecratam, cum ex antiquissimis Graecorum monumentis constat; tum Cicero testatur 1). Cum autem Tyrrheni antiquissimis illis temporibus ad regiones usque Siciliae proximas imperium suum extendissent 2); dubitari non potest, quin iidem quoque *Cererem* ac *Proserpinam* eius filiam ex Ennensium nemore a Plutone raptam, sacra coluerint religione. Cur autem *Cererem* Deam ueteres crediderint, Ouidius docet 3):

Prima Ceres unco glebam dimouit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Qua re mirum non est, si eadem ab antiquis DEA quoque BONA fuit appellata, cum tot beneficia in mortales contulisse crederetur. Sacra quoque eam docuisse mysteria Homerus apud Pausaniam ostendit 4). Duplex *Ceres* credita est, *Caelestis* et *Terrestris*: Caelestis est Luna: Terrestris uero Tellus frugifera, unde etiam a Poëtis pro frugibus accipitur. Imago, quam sistit Tabula VII. num. 10. exhibet hanc Deam, pateram manu dextera; sinistra uero, ut coniicere licet, placentam praeferentem, qua quidem specie placentae frequenter in uasis Etruscorum conspiciuntur. Praeterea retro religatos habet capillos, Tusco more: caput uero altiori diademate, quod fere Δ *deltoton* imitatur, est ornatum, cuiusmodi christiani pictores DEO uiuo et uero etiam tribuerunt. Eamdem *Cererem* refert signum elegantissimum, quod profertur in Tabul. VII. num. 11. quod florentissimis Etruscorum rebus et artibus confectum uidetur. Insignis uestium cultus, partiumque omnium consensus, pallium miro artificio dispositum, et caput uelatum coronaque foliacea redimitum, calcei clausi, quorum lora superne in speciem cruris innexa sunt, summam omnino operis elegantiam artemque possunt comprobare. Dextera pateram uersus terram inuergit, laeva cornu copiae tenet, cuius species rarissime in ueterum monumentis occurrit. Inprimis in eo obseruari merentur exigua copiae cornua plurima, quae inuerso ore terram respiciunt, cuius fertilitatem a Cereris uirtute pendere ueteres sibi persuaserunt. Quo respicere uidentur illa Varronis 5) apud Augustinum 6): *una eadem TERRA habet geminam uim: et masculinam, quod semina producat: et femininam, quod recipiat atque nutriat; unde a ui feminina dicta est TELLVS, a ui masculina TELLVMO.* Tab. VII.

Tertium signum in eadem Tabula VII. num. 12. Cererem exhibet habitu sedentis, qualem describit Pausanias 7). Caput habet uelatum atque diademate altiori ornatum, quod superne ambit in extima ora circulus radiis undique distinctus. Cornu copiae, quod ab artifice, tamquam quid augustum ac diuinum uelatum, pomis est refertum; utrimque pendent folia, atque in fastigio pinea nux conspicitur, quae auream illam aetatem, quam Ceres, sublatis feris hominum moribus, datisque optimis legibus, induxit, innuere uidetur. u. Plinius 8). Inter reliquos autem Etruriae populos Cereris cultum et sacra religiosius obseruarunt *Pisani* et *Volaterrani*, qui eidem templa consecrarunt. Nec minus apud Pistorienses, Campanos 9), Velitrenses 10), Nolanos 11) et Tusculanos 12) hanc Deam cultam fuisse, antiquae eorumdem arae testantur.

1) Action. II. in Verrem.
2) Vid. Strabon. L. VI.
3) Metamorphos. L. V. u. 340. sqq.
4) in Corinthiac. L. II. c. 14.
5) in XVI. rerum diuinar.
6) in VII. de ciuitat. Dei c. XXIII.
7) in Corinthiac. L. II. c. XXXVII.
8) L. VI. c. LVI.
9) uid. inscript. Gudian. p. XX. I.
10) inter Gudian. p. XV. 4.
11) ibid. p. XVI. 6.
12) ibid. p. XVI. 2. 4. XVII. 1.

BACCHVS

Etruscorum Deus in tota Etruria, Bacchanalibus, Orgiis, maximo honore cultus.

Bacchum Etrusci tanta veneratione sunt prosecuti, ut eum inter Deos Consentes, nullo nec Graecorum, nec Latinorum exemplo, referre non dubitarint. Exstat certe insignis patera 1), in qua *Bacchus* hederacea corona redimitus, ornatusque torque et armilla in sinistro brachio, sceptrum s. hastam dextera manu gerens sculptus est, tamquam Apollinis et Mercurii socius: sinistra manu tenet fulmen insolitae formae; unde diuinare licet, Etruscos eum adnumerasse nouem Diis, qui, ut docet Plinius 2) ex libris auguralibus ueterum Etruscorum, emittere fulmina credebantur, qui uero Dii maximi et Consentes habiti fuerunt.

Tab.VIII. Longe pulcherrimum Bacchi simulacrum est, quod in Tabula VIII. n. 1. repraesentatur. Toto corpore nudus et uirili capitis cultu conspicitur. Capilli circa frontem duplici serie calamistrati sunt, atque ita dispositi, ut coronam quamdam referre uideantur, addita uitta latiore radiis undique distincta, quae retro pendentibus lemniscis religatur: Reliqui crines intonsi sunt, caduntque inter utrumque humerum soluti. Laeua hastam aut thyrsum tenuisse indicat digitorum conformatio: dextera perparuam ceruam ostendit. Cum enim ceruus sit animal uelocissimum, longaeuum, firmoque pedum robore instructum: Etrusci melius quoque eum, quam tigrem aut pantheram Baccho conuenire censuerunt: siquidem eum eumdem cum Sole siue Apolline habuisse uidentur, qui in ueterum nummis cum adiuncto ceruo, qui Solis cursum aemulatur, conspicitur 3).

Hermaea signa Tuscorum longe diuersa a Graecorum Hermis fuere; ac plerumque pulcherrimis arborum foliis ornata. Sic Bacchus in Tab. VIII. n. 2. ambiguo sexu repraesentatur. Tumidior mamma feminam; uultus uero ridentis specie expressus uirum referre uidetur. Caput est stroppo, seu vitta lanea contorta ornatum; capilli autem breuiores, quales nimirum uiris conueniunt, cernuntur. Ceruinae pellis exuuium e sinistro humero pendens proprium Bacchi insigne est atque ornamentum. Quemadmodum uero Mercurius, Apollo, Hercules, Priapus, tamquam Dii uiarum praesides, in uetustis monumentis, Hermaeis signis saepe repraesentantur: ita quoque Bacchus ea forma conspicitur; propterea quod omnem terrarum orbem perlustrasse credebatur 4).

Aliam Bacchi imaginem Tabula VIII. n. 3. et 4. refert, in qua muliebri facie et mitra radiis insigni ornatus conspicitur. Bulla ante pectus pendet. Toto corpore nudus est, nisi quod amiculum posteriores corporis partes operit, quo uini natura, quae secreta pandit, declaratur, ut Horatius canit 5),

Quid non ebrietas designat, operta recludit.

Aliud simulacrum, quod in Tabula VIII. n. 5. sistitur, Bacchum ostendit humana specie, grandibus oculis, prolixa barba et capillis, atque taurinis cornibus insignem.

Qua de caussa in antiquis nummis, Oscorum inprimis ciuitatumque Etruscae originis, ob uini potentiam morumque feritatem, quae plerumque cum nimio uino est coniuncta, *tauriformis* 6) exhibetur, cornuaque ei tribuuntur.

Alii credunt cornua eius imagini fuisse addita, eo quod primum ad aratra boues iunxerit, cum manibus hominum terra prius exerceretur, et alia ad agriculturam pertinentia fuerit commentus.

Bacchi apotheosin exhibere uidetur signum elegantissimum in eadem Tabul. VIII. n. 6, ubi is stat toto corpore nudus, utrimque pedentibus ceruinae pellis exuuiis; cuius dextro humero insidet Deorum genius, expansis alis uolanti similis, qui sinistra manu caput Bacchi ita uertit, ut uultum sursum tollat, et aperto ore Deorum Ambrosiam accipiat, quam dextra manu se infusurum ostendit. Caput genii ornatur cornu, qnod in anserinum caput desinit: in quo obiter notandum, uetustissimos mortalium pocula e cornibus uel taurorum, uel ceruorum aliorumue animalium; insecutis uero temporibus, crescente luxu, ex auro, argento uel etiam ebore fecisse: 7) ita tamen, ut forma poculorum e cornibus fuerit retenta.

Decla-

1) Vid. Bonarot. Explic. §. IX.
2) L. II. histor. natur. c. LII.
3) Vid. Seguinum ad sel. numismat. Imperat. n. XII. p. 131. sqq.
4) Diodor. Sic. L. III.
5) L. I. ep. V.
6) Vid. Aegyptium in S. C. de Bacch. 32.
7) Vid. Athenaeum L. XI. Plin. L. XI. C. XXXVII.

Declarari autem hoc simulacro *Liberi Patris* apotheosin, seu consecrationem, insignis aerea patera edita apud Demsterum Tabul. II. luculenter probat, in qua Hercules in Deorum concilium referendus itidem a suo genio eleuatur, qui ejus pedibus subiectus est, et hoc modo expansis ad uolandum alis repraesentatur.

Cum uero Tusci quoque genios coluerint, eosque rebus sublunaribus et Diis addixerint, non sine ratione liceat quoque suspicari, eumdem genium ita esse expressum, ut uim humidi elementi significet; idque eo magis, quod Bacchum generationi ac proinde humidae naturae praeesse ueteres crediderunt 1). Tusci nimirum, Aegyptiorum opinionem secuti, ex aqua Deum cuncta fecisse censuerunt; 2) quemadmodum etiam Homerus Oceanum patrem Deorum, Thetin autem omnium rerum primordium adpellauit 3); Bacchumque a Lycurgo in fugam uersum se se in aquis abscondidisse et a Thetide receptum fuisse finxit 4).

Summam autem fuisse Bacchi in omni Etruria religionem, ipsaque Romanorum Bacchanalia ab Etruscis demum ad Romanos peruenisse ex antiquis monumentis luculenter comprobat Bonarotius 5) et Aegyptius 6). Vnde etiam apud plerosque Etruriae populos, et Neapolitanos, qui, teste Macrobio 7) Bacchum *Hebona* cognominarunt, magnifica huic Deo templa dedicata fuisse memorantur.

BACCHI GENIVS.

Inter Bacchi asseclas primum sibi uindicat locum eiusdem *genius*, quem Etrusci, non puerili, ut Graeci ac Latini artifices eum exhibuere, sed adulta aetate, alatum, nudo apertoque capite, prolixis capillis, acutis, ad exemplum Faunorum et Satyrorum, auribus, cum duplici torque elegantissimo ante pectus demisso, pendente ceruina pelle e sinistro humero, laeuaque ad pectus admota expresserunt. Graeci *Acratum* dixerunt Bacchi genium, ut memorat Pausanias. 8) Tab. VIII.

Quemadmodum igitur ueteres singulis Diis, iisque praecipue, quos aquae, terrae, igni et aëri praeesse credidere, suos genios adsignarunt, quorum arbitrio omnia geri arbitrabantur: ita etiam Baccho eiusmodi genialem comitem tribuerunt. Hanc uero de Geniis opinionem ex prisca Ebraeorum Theologia, diuinorumque oraculorum fontibus deriuasse uidentur ueteres illi idolorum cultores 9).

DII CABIRI seu CORYBANTES,

Bacchi mysteria, cistam mysticam et sacra Cabiria in Etruriam inuexerunt.

Summam Bacchi religionem inter Etruriae populos cum allata monumenta; tum etiam fabula de Tyrrhenis Bacchum ducere captiuum conantibus, et in Delphinos conuersis, abunde docere possunt; idque eo magis, quod diserte memorant ueteres scriptores, Liberi Patris cultum sacraque mysteria a Cabiris seu Corybantibus in Etruriam cum mystica illa cista fuisse delata. 10) Certe Etruscos adeo impense *Deos Cabiros* coluisse constat, ut etiam, cum omnium prouentuum sterilitate laborassent, bonorum suorum decimas iis uouerint atque religiose persoluerint, ut auctor est Myrsilus Lesbius apud Dionysium Halicarnassensem. 11) Quamquam quidem hic antiquitatum scriptor contendit, Pelasgos multo prius, quam Etruscos *Cabiria* mysteria peregisse: ego tamen multo potius ad Clementis Alexandrini accedo sententiam, qui Etruscos & cultum et sacra Bacchi ab ipsis Diis Cabiris accepisse memorat. Nec uero hic praetermittendum, Phoenices quo-

1) Averanius in Antholog. Differtat. XLVIII. n. 5. 6.
2) Plutarchus de Iside et Osiride.
3) Iliad. Lib. Z. u. 132. et L. Ξ. u. 201. et 302.
4) Idem Iliad. 2. u. 132.
5) Liuius Decad. IV. L. IX. et Bonarot. ad monum. addit. Demstero §. IX.
6) In Comment. in S. C. de Bacchanalibus.
7) Saturnal. L. I. C. XVIII.
8) In Atticis L. I. C. II.
9) Vid. Bocharti Geograph. S. L. 1. C. 15.
10) Clemens Alexandrin. in Protrept. £ admonit. ad gentes p. 12.
11) Antiquitat. Roman. L. I. p. 19.

quoque et Aegytios *Cabirorum* cultum habuisse; ac Memphi in eorumdem honorem antiquissimum templum fuisse dedicatum, uti memorant Sanchuniathon ille Berytius 1) et Herodotus 2).

Cum uero, teste Dionysio Halicarnassensi 3) *Cabiri* primi armatam saltationem instituerint, quorum arma, aeque ac Saliorum, hasta et ancilia seu scuta fuerunt: ueri perquam simile uidetur, *Cabiria*, ex eorum nomine certamina appellata ab Etruscis instituta fuisse. Certamen illud, siue saltatio armata exhibetur in uase quodam argenteo Etruscisque litteris inscripto, quod uidere licet apud Demsterum in Tabul. LXXVII. et LXXVIII.

Quamquam ualde incerta sunt, quae de *Cabirorum* origine, numero et nominibus ab antiquis scriptoribus traduntur: tres tamen fuisse numero tradit Cicero, 4) quos e Cabeira, Protei filia et Vulcano natos, aeque ac tres Nymphas Cabiradas Acusilaus Argiuus et Pherecydes memoriae prodiderunt 5). Plura qui de hisce Cabiris cupit, praeter Marshamum, 6) Fabrettum 7) Gutberlethum de mysteriis Cabirorum, adeat inprimis Vossium 8).

Cum Etrusci Deos torquatos fere et bullatos fecerint: facile intelligitur, signum, quod in Tabul. VIII. n. 8. exhibetur, esse Etruscum et quidem, id quod oculi paene clausi indicant, antiquissimum. Toto corpore nudus est hic Deus, nisi quod pudenda subligaculo uelantur. Sub dextro pede prominet clauus oblongus, quo in terra figi solebat, ut consisteret; cuiusmodi in aliis quoque Deorum signis apparent; unde portatilia ea fuisse recte coniicitur. Pileolus tanto artificio est confectus, ut diuelli a capite possit. Esse autem hunc unum ex Cabiris, cum ex imagine Cabirorum in nummis Thessalonicensium obuia apud Seguinum; 9) tum ex Pausaniae descriptione 10) colligitur. *Cabiris* hisce *Diis*, qui et Curetes dicti, nec tantum Bacchi, sed et Cereris omniumque Deorum cultum primi gentes docuerunt, tres aras in Circo a Romanis fuisse dedicatas, auctor est Tertullianus 11).

Tab. VIII.

PRIAPVS

antiquorum Tuscorum Deus, praesertim Perusinorum et Clusinorum.

Priapus idem est ac Sol eiusque lux, unde uis omnis seminatrix. Aegyptii, a quibus Priapi cultum Graeci et Etrusci accepere; ab his autem Latini ac Romani, Hori nomine eum coluerunt. Humana forma eius simulacrum effinxerunt, dextra tenens sceptrum, sinistra autem intentum ueretrum mirae magnitudinis 12). Quorum altero ex his symbolis, *Solis* ac proinde *Priapi* imperium ac potestatem in uniuersum orbem; altero uero uim eiusdem Solis generatiuam designarunt.

Quamquam obscoena haec ac pudenda ueterum Etruscorum simulacra merito praetermittenda uidebantur, ne castis oculis essent offendiculo: quaedam tamen eorum adiicere, integerrimorum uirorum exemplo adducti, uel ideo censuimus, ut Ethnicorum prauitas; contra ea uero Christianae religionis ueritas et puritas eo magis exinde elucesceret et corroboraretur.

Tab. VIII. Primum igitur in Tabul. VIII. n. 9. occurrit ridiculum *Priapi* Ορχηστȣ, *saltatoris* simulacrum. Ferunt *Priapum* ac *Pana* ad bellum aduersus Indos gerendum comites Bacchi fuisse, saltandoque musicis modis efferas gentes demulsisse 13). Pumilionis autem specie eum effinxerunt Etrusci, quia hoc hominum genus, secundum Theophrastum 14) in tribuendis corporis dotibus naturam nimis experiuntur benignam. In hoc signo illud notatu dignum, quod caput habet corona redimitum, quae e uariis pomis contexta est, uittisque pendentibus insigne; singula uero poma in medio excauata, quae indicant, gemmas olim insertas fuisse. Alterum in Tabul. VIII. n. 10. est iuuenili specie et stantis habitu expressum. Nam sciendum, Priapum uaria specie, nunc florida iuuentute uigentem; nunc uirili aetate; nunc decrepita senectute ab Etruscis repraesentatum fuisse.

Priapum

1) Apud. Eusebium L. I. Praeparat. Euangel.
2) L. II. C. XXXVII.
3) Lib. II. Antiquit. Rom.
4) De Natur. Deor. L. III.
5) Apud. Strabonem L. X. p. 472.
6) Saecul. I. p. 35. 36.
7) In Traiani columnam C. III. p. 73. seqq.
8) De Origin. Idol. L. II. C. LIII. LVII.
9) Select. numismat. C. I. VII.
10) In Laconic. L. III. C. 24.
11) De Spectaculis C. VIII.
12) u. Suidam et Isidorum Origin. L. VIII. C. XI.
13) u. Athenaeum L. XV.
14) Apud Suidam in uoce Νάννος.

Priapum barbatum cum capite tutulato, amictumque ueste Bassarica, Bacchi propria, quia Bacchus et Priapus pro eodem Numine habentur, refert Tabul. VIII. n. 12. 13. Vtrique brachio insident columbae uel tuttures, quod prae aliis animalibus ui generandi pollere dicuntur.

Aliam iuuenis Priapi imaginem refert Tabul. VIII. n. 11. Caput eius elegantibus foliis ac pomis est ornatum, omnisque chlamydis sinus hortensium herbarum copia refertus; altera manu incuruum caulem sustinet.

Ad custodiam autem ruris et hortorum antiqua superstitio Priapi simulacra et ithyphallos posuit, ex antiquis arborum truncis uel alia etiam materia confectos, ut multa veterum scriptorum loca probare possunt.

SILENVS

Bacchi educator, custos et magister ab Etruscis cultus.

Sileni originem plerique ueterum ex Lydia deducunt; unde etiam Etruscorum origo deriuatur 1). Is uero educator, praeceptor et Dux Bacchi dicitur fuisse, qui, cum in bello aduersus Saturnum, Titanas et Indos ei adfuisset consilio, postea ab eodem suo alumno in numerum relatus Deorum commune cum eo templum obtinuit. Diodorus Siculus 2) eum primum omnium in Nysa insula regnasse, ac Baccho in bello opem tulisse affirmat. Philosophiae quoque operam dedisse, ex colloquio cum Mida rege Phrygiae habito, apparet 3). Scriptores Graeci 4) pariter atque Latini, 5) nec non sculpturae antiquae Silenum, tamquam senem recaluastrum, barbatum, simis naribus, uentricosum, hederacea corona redimitum repraesentant, qualem etiam imagines in Tabul. IX. n. 5. 6. 8. allatae referunt. Obseruari autem in hisce inprimis meretur, quod togatus, uel more philosophorum palliatus, instructus alis, et arborum foliis ornatus conspicitur. Alatum Silenum fecere Etrusci, ut uini motum atque celeritatem, paratumque eius uirtutis auxilium indicarent. Senex autem caluus fingitur ad prudentiam eius uimque caelestem innuendam. Tab. IX.

PAN

Etruscorum Deus, magna religione cultus.

Pana Deum Aegyptii omnium primi summa religione coluerunt, 6) patrioque sermone, eodem, quo hircum, nomine *Mendes* appellarunt; a quibus postea Etrusci eiusdem cultum accepisse uidentur. Vetusti artifices eum *caprina facie hircinisque cruribus* repraesentarunt. Aegyptiam eius originem probat icon, quae exhibetur in Tabul. IX. n. 10. 11. in qua calathus eius capiti impositus conspicitur, cuiusmodi Serapidi atque Isidi ceterisque Diis Aegyptii dederunt. Creditur esse simulacrum ex eorum numero, quae antiquissimis temporibus *Euergetis & Seruatoribus* in perpetuam eorumdem memoriam poni solebant 7). Nec uero sine ratione quidam censuerunt, eius cultum ex Arcadia, ubi maxima religione fuit honoratus, per Euandrum in Italiam delatum, *Inuumque*, ab *ineundo*, auctore Seruio ad Virgilii Aeneid. L. VI. u. 776, fuisse uocatum; quem Etrusci potissimum, cum ob maxima in se collata beneficia, tum ob sedem in ea regione delectam, diuinis honoribus prosecuti fuerunt. Vnde Rutilius Claudius Numatianus 8) Tab. IX.

Seu Pan Tyrrhenis mutauit Maenala siluis.

Fuit autem *Pan* e Bacchi ministris omnium celeberrimus, 9) eique ob opem in bello aduersus Indos praestitam carissimus, Musicus, Saltator, Venator et Bellator praestantissimus 10). Etrusci eum

1) u. Demster. de Etruria Regal. L. I. C. IV. et XX.
2) Bibliothec. Histor. L. III. p. 143.
3) Aelianus Var. histor. L. III. C. XVIII.
4) Lucian. in concilio Deorum T. II. p. 907.
5) Hyginus Fab. CXCI.
6) Herodotus in Euterpe L. II. num. 47.
7) u. Bonarrotii obseruat. in Numism. max. mod. Tab. XV. p. 273.
8) in Itinerar. L. I.
9) u. Lucian. in bis accusat. T. II. p. 665. sqq
10) Virgilius in Ecl. X. u. 26.

eum Orcheſtricae et Auleticae inuentorem habuerunt, ut oſtendit eius ſimulacrum in Tabul. IX. n. 9. ubi in altum eleuato ſiniſtro brachio, geſtu ſaltatoris expreſſus eſt. Dextra manu duos breues tenet calamos, quos maiores ſiniſtra itidem manu oſtentat in Tabul. XI. n. 1. Vnde Virgilius eum fiſtulam artemque arundines cera iungendi reperiſſe canit 1):

Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit.

Quemadmodum autem Tuſci ab illa ueterum conſuetudine abhorruerunt, qua Diis ſuis belluarum capita uel crura tribuerunt: ita *Pana* quoque, quamquam caudam ei dedere, non hircinis cruribus, ſed humanis pedibus expreſſerunt, ut uidere licet in Tabul. IX. n. 9. 10. 11. Verum tamen hircinis cornibus modo minoribus; modo maioribus eum repraeſentarunt. Vid. Tabul. X. n. 1. ubi uidemus huius Dei caput, quod uidetur fuiſſe donarium in eius templo dedicatum.

Pecoris quoque cura et tutela adſignata fuit *Pani*, quem *Siluani* nomine Romani coluerunt, eique templa, ſigna, collegia, cultores ac ſacerdotes, nec non ſollemnia Sacra Kalendis Martiis inſtituerunt. Imaginem eius refert ſignum, quod in Tabul. X. n. 2. 3. eſt editum. Toto capite caluus, cum acutis auribus et prolixa barba, nec non duplici ueſte breuiſſima indutus cernitur, qualis paſtoribus et agricolis optime conuenit. Capellam in humeris geſtat, utpote pecudis Deus eſt cuſtos. Talem Arcades quoque uenerati ſunt, ut canit Ouidius 2).

Pana Deum ueteres pecudis coluiſſe feruntur
Arcades: Arcadiis plurimus ille iugis.

atque in eius templo ignem perpetuum coluerunt, ut docet Pauſanias 3). Praeterea oraculorum reſponſa eum reddidiſſe exiſtimarunt; eiusque interpretem *Erato* Nympham fecerunt, cuius forte imaginem refert Protome elegantiſſima, quam ſiſtit Tabul. X. n. 4. Denique cum Arcades iuxta eius fanum denſo luco circumſeptum Hippodromum conſtruxiſſent, in eoque iam ab initio Lupercalia celebraſſent, colligi exinde poteſt, etiam curſus certamina ei ſacra fuiſſe 4). Ceterum cornua in eius capite, uel radiorum Solis et Lunae ſimilitudinem exprimunt; uel inuentum eius reſpiciunt, quo in exercitu Liberi Patris cornu dexterum et ſiniſtrum inſtituit, uti auctor eſt Polyaenus 5).

FAVNI. FAVNAE. SATYRI, SATYRAE. BACCHANTES, BACCHAE. CENTAVRI.

Liberi Patris aſſeclae.

Ex antiquis monumentis, in quibus Bacchi orgia et pompae repraeſentantur, clare elucet, omnes Liberi Patris famulos, quos ueterum fabulae finxerunt, Etruſcis quoque non ignotos fuiſſe. In iis enim conſpiciuntur Fauni iuxta Bacchum ſaltantes, barbati uel imberbes, cum auribus acutis, caudis equinis inſignes, atque perſonati uarias hominum aetates referentes, et mitris, uel coronis hederaceis redimiti.

Satyri, non ut apud Graecos et Latinos, cum hircinis caprinisue pedibus, ſed omnino humanis expreſſi conſpiciuntur, quamquam faciem habent hircorum uel caprorum, naribus ſimis: nec niſi unicum me uidiſſe memini Satyrum in Etruſca patera cum pedibus hircinis expreſſum, qui tamen ipſi non uilloſi et hirſuti, ſed humanis ſimiles fuerunt.

Saty-

1) Eclog. II. u. 32.
2) Faſtor. L. II. u. 271.
3) in Arcadic. L. VIII. C. 37.
4) Idem C. XXXVIII.
5) Strategemat. L. I. C. 2.

Satyram sedentem uidemus in Tabul. IX. n. 14. 15. Tuscanici operis. Laeua manu tenet pomum. Aures habet acutas, caudam breuiorem, coxas uillosas, pedesque caprinos. Capilli sunt, more Baccharum, in orbem contorti. Cum has Bacchi famulas non eodem, quo alios Deos, honore adfecerint: mirum non est, si iis caprinos pedes tribuerunt; quod in maiorum gentium Diis numquam fecerunt.

In Tabul. X. n. 6. 7. duo exhibentur Faunorum uel Satyrorum signa, quae in tigrem unico pede stantem desinunt: nescio tamen, an n. 6. tigris sit, quae barbata sistitur. Protoma eorum foliis arborum cingitur, ceruina pellis pendet e laeuo humero. Tab. X.

Centauros quoque apud ueteres Tuscos non ignotos fuisse, urnae cinerariae in Demsteriano opere Tabul. XXI. n. 1. et 11. probant. Singulare prorsus est aereum perparuum signum, quod conspicitur in Tabul. X. n. 5. in quo Centaurus duplici, humana et equina, specie repraesentatur; ita quidem, ut in anteriore corporis parte pedes humani, in posteriore uero pedes equini conspiciantur. Ita Centaurum in antiquissima Cypseli arca expressum fuisse, testis est Pausanias 1). Quid utraque manu olim praetulerit, hastam an thyrsum, incertum est.

Bacchantes item uiri et Bacchae feminae, alio, quam in monumentis ueterum Graecorum et Latinorum, modo ab Etruscis artificibus expressae conspiciuntur. Bacchantes saltant capite coronato hedera, hastasque seu thyrsos iactant, crateres seu mysticas arculas in Orgiis circumferunt: lyra uel tibiis buccinisue perstrepunt, Bacchas interdum territant easque apprehensis uestibus detinent. Bacchae sunt expressae saltantes, cymbala pulsantes, uestibus amictae ornatissimis, aliquando calceatis pedibus elegantibus cothurnis. u. Tabul. XI. Demsteriani operis, comtis omni ornatu capillis: nunc thyrsos gerunt, uel corollas elegantissimas: nunc mysticas arculas aliaque, quibus spectantium oculi in Dionysiis festis oblectabantur. Capita Baccharum; nec non Satyri uel Sileni alicuius, quae olim pro donariis in templo Bacchi uel Panos Dei suspensa fuerunt, refert Tabul. X. n. 8. 9. 10. 11.

CORONIS NYMPHA

una e nutricibus Bacchi pueri.

Cum ueteres Mythologi 2), tum antiqua monumenta, inter quae eminet inprimis marmorei uasis sculptura ab eruditissimo Sponio in lucem edita 3) docent, Bacchum infantem a Mercurio ad Leucotheam siue Ino delatum fuisse, quae omnium prima ubera infanti dedit: deinde *Nymphis Naxiis* tradidit, quarum nomina *Philia*, *Coronis*, *Eleis* teste Diodoro Siculo 4), fuerunt. Qua de caussa *Naxum* insulam Baccho in primis caram, et Dionysiadem appellatam, et fontem uino perdulci fluentem in ea ueteres finxerunt, ut Stephanus Byzantinus 5) memoriae prodidit. Non defuerunt tamen, qui Bacchum in *Nysa* insula a *Nymphis Nysiadibus* enutritum censuerunt 6). Nec minus uero Etruscos quoque Bacchi educationem sibi uindicasse ex aheneo eoque elegantissimo simulacro colligi potest, quod exhibetur in Tabul. XI. n. 2. Ab Etrusco certe artifice esse confectum, et sculpturae character, et torques, eximium ornamentum, quod Tusci Diis dare consueuerant, potest indicare. Praeterea uero corona pampinea, qua Nympha haec in capite est ornata, satis ostendit, eam in *Dionysiadum Nympharum* numerum non sine ratione referri. Toto corpore nuda est, reiecto retro amiculo, quod e laeuo brachio pendet, dextrumque genu et tibiam uelat; pedes, more Etruscis perquam familiari, calceis sunt induti. Pro Bacchica Nympha eam recte haberi, illud quoque probat, quod huius Dei imago simili corona pampinea ornata exhibetur apud Causeum, 7) utpote quem Philonides Medicus apud Athenaeum 8) tradit uitem e rubro mari in Graeciam transtulisse; unde *ornatus tempora pampino* Horatio aliisque Poëtis dicitur. Tab. XI.

 Denique

1) in Eliacis L. I. C. XIX.
2) uid. auctor hymnorum, qui Orpheo uel Homero tribuuntur. Ouidius Metamorphos. L. III.
3) in miscellan. erudit. antiquit. Sect. II. Artic. I. p. 25.
4) Biblioth. histor. L. V. p. 225.
5) in: uoc. Νάξος.
6) Diodor. Sicul. L. III. p. 141.
7) in Museo Roman. Sect. II. Tab. II. p. 34. 35.
8) L. XV. C. XV.

Denique uero obſeruari quoque meretur, quod haec *Nympha Dionyſias* oculis clauſis repraeſenttatur, dextro brachio ad genas admoto, qui geſtus doloris index eſſe ſolet: cuius rei cauſſam forte innuunt illa Theophraſti uerba apud Athenaeum 1) Τῦ Διονύσυ Τροφοὶ αἱ Νύμφαι κατ᾽ ἀλήθειαν. αἱ γὰρ ἄμπελοι πλεῖςον ὑγρὸν χέυσι Τεμνόμεναι καὶ κατὰ φύσιν δακρύυσι. *Bacchi nutrices reuerai fuerunt Nymphae. Vitis enim putata plurimum fundit humorem, atque naturâ lacrimatur.* Quod autem eiusdem Nymphae imaginem Nymphis aquarum et fontium ſimilem effinxerunt, uinum aqua temperandum ſignificare uoluerunt. Vnde, teſte, Pauſania, 2) ipſum Liberum Patrem thyrſo terram percuſſiſſe, e qua fons erupit, quem Meſſenii *Dionyſiada* appellarunt, ueteres finxerunt.

Sic Amphictyonem, regem Athenienſium, a Baccho uini temperandi rationem didiciſſe, atque illud diluiſſe, ex Philochoro memorat Athenaeus 3). Ob quod inſigne et hominum generi ualde ſalutare beneficium Baccho in Horarum templo aram, et proxime illam Nymphis alteram exſtruxit, documentum bibituris, ſi ſanitati conſulere uelint, uinum aqua diluendum eſſe.

DRYAS NYMPHA

arborum, fructuumque arboreorum Praeſes ab Etruſcis culta.

Nymphae, quas Graeci Dryadas ἀπὸ Τῆς δρυὸς; nec non Hamadryadas, quod ἅμα Ταῖς δρυσὶ, *cum arboribus et naſci et interire* credebantur, uocabant, cultum antiquiſſimum in Arcadia habuerunt. Certe Arcas, Calliſtus filius, a quo et ipſa, quae antea Pelaſgia dicebantur, Arcadia, et gens, qui Pelaſgi fuerant, Arcades appellati fuerunt, unam e Dryadibus Nymphis habuit uxorem, quas, Pauſania teſte 4) patria hac uoce Dryadas et Epimeliadas nominarunt. Fuiſſe earum cultum in Italia antiquiſſimum, nec ipſis adeo Etruſcis ignotum, quamquam incertum eſt, quo nomine

Tab. XI. iſtas arborum praeſides appellarint, rariſſimum ſimulacrum, quod exhibet Tabul. XI. n. 3. poteſt comprobare. Hiſce Nymphis Etruſci alas expanſas uolantique ſimiles dederunt, quibus etiam maiorum gentium Numina exornarunt, ut earumdem uelox et praeſens auxilium ſignificarent. Praeterea diuinum diadema habet ex coma eiusdem Nymphae factum, tamquam Etruſcarum Dearum proprium ornamentum. Referri autem hoc ſimulacro unam ex Dryadibus uel Hamadryadibus, exinde poteſt colligi, quod ex antiquorum Theographia, tamquam ex arbore, e patulo calyce undique elegantibus et latis, quercus forte, foliis prodire uidetur. Nam ueteres e priſcis Poëtarum fabulis crediderunt, Nymphas Dryadas, cum ex aliis arboribus, tum ex quercubus fuiſſe ortas, unde, teſte Feſto, *Querquetulanae dicebantur Nymphae querqueto uireſcenti praeſidentes.* Earum ſacellum fuit Romae querquetulanum dictum, Varrone auctore 5). Toto corpore nuda eſt, niſi quod e dextro humero pendet ueſtis, uel ceruae uel hinnuli ſpolium, in cuius ſinu gerit multiplices arborum fructus, quos ſiniſtra ſuſtinet: dextra uero eorum copiam largam oſtendit. Niſi latis quercus foliis contineretur Nympha, pro Vertumni quoque uel Priapi comite poſſet haberi. Ita ſane Diana ab incolis Heracleae Ponticae *Priapina*, teſte Plutarcho, 6) dicta fuit.

CALLIOPE

Muſarum princeps, cuius cultus apud Etruſcos ex inſigni patera uaſis Etruſci adſtruitur.

Muſae inter Bacchi comites memorantur, eumque in bello aduerſus Indos geſto ſecutae, carminibusque et optimarum artium ſtudiis oblectaſſe dicuntur 7). Diuerſam autem fuiſſe earum formam apud Graecos et Latinos ab illa, qua apud Etruſcos expreſſae reperiuntur, apparet

1) L. XI. C. III.
2) in Meſſeniac. L. IV. Cap. ult.
3) L. II. C. II. p. 38.
4) in Arcadicis L. VIII. C. IV.
5) L. IV.
6) in uita Luculli p. 499. edit. Pariſ. 1624.
8) Diodor. Sicul. Bibl. Hiſtor. L. III. p. 1483.

apparet ex rarissimo uasculo, quod in Tabul. XI. n. 6. repraesentatur. Graeci comtis crinibus ac more uirginum reuinctis, totoque corpore splendida palla amicto effinxerunt: Etrusci uero non stantes, sed in aëre adparentes, passis capillis, coronato capite, duplici ueste laxioribus cum manicis amictas, et cum alis non capiti, sed humeris additis exhibuerunt. Quae in uasculo hoc cernitur, uidetur esse Calliope, Musarum omnium princeps, ut prodit Apollodorus 1). Cum enim ex Platonicorum 2) sententia singulis orbibus praesit sua Musa, quae eos cantu temperet: Calliopen uniuerso mundo tribuunt, quae eum regat, quasi Calliope reliquarum omnium complexa sit uirtutes. Quia uero Calliope a Poëtis inprimis inuocari solet: ideo cum lyra expressa conspicitur, fauensque Poëtae sua praesentia, qui in altera eiusdem uasis parte pictus est, atque ex gestu canere aliquid uidetur.

Eadem Musa lyram pentachordon praefert, peculiari modo fabricatam, ex qua taeniae dependent: honoris et cultus gratia, siquidem hoc instrumentum, quo Deorum laudes, Heroum gesta, et arcana Philosophiae canebantur, inprimis sacrum et uenerandum habebatur. Huc accedit, quod Etrusci Philosophorum Pythagoricorum placita secuti Musicam diuinam esse scientiam existimarunt 3). Vnde etiam apud eosdem Poetae et hymnologi in maximo honore fuerunt.

HERCVLES

ab Etruscis; potissimum uero a Florentinis, Veliternis, Mediolanensibus aliisque cultus.

Herculis cultus tota Etruria fuit celeberrimus, eo quod omnem istam regionem et Campaniam maximis beneficiis affecit, impios et immanes homines sustulit, Deorumque honores auxit, unde Deorum comes in uetustis aris 4) dicitur. Id declarant complura aerea et marmorea simulacra in Etruria iam eruta; pondera siue asses clauam Herculis praeferentes; paterae in sacris Deorum faciendis adhibitae, quae nomen eius *Chercul*, et *Chercole* inscriptum habent; uid. Tabul. II. et VI. apud Demsterum: quemadmodum etiam in Thesauro Gruteriano ara occurrit cum hac inscriptione: *Hercoli celeri sacra* 5). Plures arae in eodem Thesauro obuiae, Herculi uariis cognominibus celebri, *Saxano*, *Inuicto*, *Tiburtino*, *Victori*, *Augusto*, *Consorti* dedicatae, locis ubi erutae sunt, probant, eas a *Puteolanis*, *Campanis*, *Tiburtinis*, *Brixiensibus*, *Mediolanensibus*, *Pisaurensibus*, dedicatas fuisse; apud quos omnes Herculis cultus, ab Etruscis, qui ea loca occuparunt, institutus usque ad imperium Romanum uiguit. Veteres historici tradiderunt, Herculem Aegyptium in ea usque loca, ubi nunc est Florentia, uenisse; et hinc pro *tutelari* Deo habitum, eiusque leonem ab huius regionis incolis pro insigni delectum ferunt 6). Statuam Herculis Florentiae uidit Ernstius cum inscriptione: Hercules . . Dor . . For . . quam adfert Thomas Reinesius 7). Ernstius cum e Curtio L. VIII. c. 14. obseruasset, *apud Indos Herculis simulacrum agmini peditum praeferri solitum, quod maximum bellantibus incitamentum et deseruisse gestantes militare flagitium habebatur*, ita supplendam illam inscriptionem censet: *Hercules Indorum Fortitudo.* Cl. Gorius autem legendum putat *Hercules Doryphorus* uel *Dendrophorus*, quo cognomine etiam uocatur in uetustis aris Siluanus, 8) uel quod ipsi Dii arbores stirpitus exscissas; uel eorum cultores in sacris, religionis caussa, in humeris ferrent 9). Herculis fanum ad portum Labronis, qui hodie *Liburnus* dicitur, meminit Antoninus in Itinerario. Volaterris adhuc est porta antiquissima, ingentibus saxis quadratis constructa, artificio admirabili, ac certe Tuscanico, quam *portam Herculis* dicunt, iuxta quam forte fuit Fanum Herculis, quod huic portae nomen dedit. Sic Ptolemaeus quoque memorat Ἡρακλέως ἱερὸν, *Herculis Fanum*, quod inter Feroniae lucum et Pisas ponit 10). Inter Herculis, Etruscorum Dei, cultores, fuisse etiam Arretinos, ostendit peruetusta ara inter Gudianas 11) edita, quam ei M. Fodius Longus, Patronus Municipii et Coloniae Arretinorum dedicauit.

1) Biblioth. L. I. p. 6.
2) Macrobius in Somn. Scip. L. III. C. III.
3) Vid. Strabonis Geograph. L. X. p. 468.
4) Apud Reinesium Syntagm. C. I. 71.
5) p. XLV. 6.
6) uid. Borghinium de origin. Florent. p. 14.
7) Class. I. n. LXVI. p. 109.
8) apud Gruterum p. LXIIII. 7.
9) uid. Fabrettum Inscript. Cap. IX. p. 659.
10) consulendus etiam Vossius de Idolol. L. I. c. XI.
11) Pag. XXXVII. n. 7.

Apud Picentes quoque Herculis cultum obtinuisse, ex antiquissimo eiusdem Herculis simulacro aheneo, quod apud Cupram Montanam A. CIƆIƆCCXXVII. inuentum est in sepulcro, potest comprobari. Fuit enim Hercules etiam defunctorum Numen tutelare, ac in uetustis sepulcris non raro conspicitur animas, non secus ac Mercurius, ad inferos deducens. Huius sepulcri et antiquitatum in eo inuentarum adcuratam descriptionem dedit egregius Academicus Etruscus Cortonensis 1). Hercules heroum maximus nudo corpore, athletici succi pleno expressus est. Laeua manu e qua insigne leonis Nemeaei spolium pendet, clauam sustinet; dextera cornu, priorum hominum poculum ostentat, quo ad bibendum usus est. *Herculem*, ut aliae gentes; ita etiam Etrusci bibacem repraesentarunt, eo quod Bacchi comitem in expeditione Indica crediderunt.
Tab. XI. Notari merentur in hoc simulacro Tab. XI. num. 7. Diadema insolitae formae, quo Bacchum in Etrusco uase pictum aliquantulum imitatur, et massa plumbea, qua eius pedes detinentur. Etrusci autem, aeque ac aliae gentes, ridicula superstitione Deorum indigetum Seruatorumque urbium simulacra basibus plumbeis solebant infigere, uel uinculis uincire, ne euocati ad hostes migrarent; uel sponte urbibus exirent quae in eorum tutela fuerunt. Non alienum uidetur hac de re elegantem Alexandri ab Alexandro adferre obseruationem 2). *Erat uetus mos*, inquit, *ut in urbium obsidione, ubi ad ultimam dimicationem uentum esset, tutelares Deos, sub quorum praesidio urbs foret, certo carmine et uerbis conceptis in nouas sedes euocarent, templaque ampliora et sollennes aras illis promitterent; nefas opinati, Deos urbium Praesides, urbe hostiliter direpta, uelut mancipia, captiuos habere. Persis uero et Aegyptiis nullos patrios habere Deos in usu fuit, quod euocationibus illos migrare ex oppidis et sine tutela deseri timerent. Alii uincla et catenas adnectebant Diis. Nonnulli sponsores a Diis petebant, ne euocarentur et abirent. Tyrii enim obsidione pressi, Herculis simulacrum, quod magna religione coluerunt, ne urbem desereret, aurea catena deuinxere.* Quid? quod, teste Plutarcho, quoties ad lauacrum aut lustrationem duxerant Deos, fideiussores pro reditu exegerunt. Vnde Romani illos constantissimos Deos crediderunt, qui ne de nomine quidem noti essent aliis. Hac de re Seruius: 3) *inde est*, inquit, *quod Romani celatum esse uoluerunt, in cuius Dei tutela urbs Roma sit: et iure Pontificum cautum est, ne suis nominibus Dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint. Et in Capitolio fuit clypeus consecratus, cui inscriptum erat: GENIO VRBIS ROMAE SIVE MAS SIVE FEMINA.* Et Pontifices ita precabantur: *Iupiter optime, maxime, siue quo alio nomine te appellari uolueris*: nam et ipse ait: *Sequimur te, sancte Deorum, Quisquis es.*

Interdum Dii sponte sua stationes mutare credebantur, quod de simulacris Deorum e Troia Lauinium ab Aenea deductis prodit Dionysius Halicarnassensis 4). Hinc et aliae gentes, ut supra diximus, et Etrusci simulacra Deorum, uel uinculis, uel plumbo intus etiam fuso, impedire conati sunt, ne urbes ipsorum tutelae creditas relinquerent.

In Tabul. XI. num. 8. Herculis signum mirae pulchritudinis opere Etrusco perfectum conspicitur. Capilli perraro artificio ita sunt caelati, ut squamas piscium referre uideantur. Non barbatus, ut apud Graecos et Latinos; 5) sed tamquam imberbis iuuenis uultu sereno atque hilari sculptus est. Poma, quae manu tenet, ex Hesperidum hortis, occiso peruigili dracone, ablata, *Herculem Pomarium* innuunt.

In Tab. XI. n. 9. 10. exhibetur duplici schemate expressum signum Herculis, leonem uel Cithaeroneum, uel Nemeaeum suffocantis. Exinde uero apparet, *Herculem Pollentem*, *Inuictum*, alio, quam apud Graecos et Romanos gestu, in maximo hoc labore, ab Etruscis sculptum fuisse.

CASTOR ET POLLVX

ab Etruscis culti.

Castorem et Pollucem inter famigeratissimos illos Graeciae heroas fuisse, qui ad deportandum uellus aureum, duce Iasone, sunt profecti, ex antiquis monumentis abunde constat 6). Reduces autem ex Colchide hi Argonautae, Tyrrheniamque praeteruecti ad insulam Aethaliam appule-

1) Differtat. V. in libro, qui inscribitur: Saggi di Differtazioni Academiche degli Academici Etrusci di Cortona.
2) Genial. dier. L. VI. C. IV.
3) ad Virgil. Aeneid. L. II. u. 351.
4) Antiquitat. Rom. L. I. p. 54.
5) Museum Florent. Tom. III. Tabul. LXVII. LXVIII. et inter Donianas Inscription. Tab. VII. n. 11. p. 58.
6) uid. Philostratus Imagin. L. II. de Glauco marino.

appulerunt, pulcherrimumque ibi portum Argoum de naui sua nuncuparunt. Praeter ea alium quoque portum in Etruria, octingentis a Roma stadiis, Telamonem, a Telamone uno Argonautarum, nominarunt 1) Ex quo non sine ratione colligitur, hos Deos ab Etruscis quoque diuinis honoribus cultos fuisse, qui etiam apud Romanos, quorum magna religionis pars ex Etruria originem duxit, in summa fuerunt ueneratione.

Id uero testantur quoque pondera, monetae Etruscorum, in quibus binae clauae, quae cum ad Herculem, tum ad Castorem et Pollucem referri possunt, sunt impressae. Pollux certe Homero 2) πὺξ ἀγαθός, *pugilatu strenuus*, et Theocrito 3) φοβερὸς πὺξ ἐρεθίζεν, *terribilis in certamine pugilum* dicitur; utpote qui etiam Amycum, Bebryciae regem, aduenis infestum, in certamine uicit 4). Castori et Polluci equos adsignarunt ueteres ad indicandam illorum equos regendi peritiam. Vnde etiam Theocritus Castorem potissimum ἱπποκλίδαν uocat; traditque eum belli gerendi scientiam Herculem docuisse 5) In uase Etrusco apud Demsterum edito 6) exhibetur, qualis a Theocrito describitur. In Tabul. XII. n. 1. Caput eius ornatum est pileo ad metae formam Tab. XII. elato. In Museo Mediceo 7) exstat insignis patera, in qua Castor et Pollux sculpti sunt cum Meleagro colloquentes; Pollux quidem toto corpore nudus, aperto capite, sinistra lanceam siue hastam tenens: ad sinistram uero Castor stat pileo Phrygio ornatus, tunica et chlamyde cirrata indutus, sinistra hastam gerens; ubi etiam Etruscis litteris eorum nomina, *Pultuke*, et *Castur* adscripta leguntur.

In eadem Tabul. XII. num. 2. Perinsignis est imago Castoris siue Pollucis, qui equum ferocientem, pedestris ipse frenis tenet. Eximium esse opus Etruscum, probare possunt bullatum monile, eiusdem equi collo adnexum. Cauda non passis et solutis crinibus est, uti in Graecorum et Romanorum monumentis saepius uidere licet, sed pressis crinibus circa finem nodo innexis.

NEPTVNVS

ceterique DEI MARINI, a Tuscis culti.

Neptuni nomen, si aliorum Etruscorum Deorum nomenclaturam respiciamus, uidetur esse Etruscum; quamquam alii ex Graecorum; 8) alii ex Romanorum lingua, eius originem deriuare conantur 9). Doctissimus Reinesius ab Aegyptiacae ueteris linguae uocabulo Νεφθυν, quo τῆς γῆς ἔσχατα καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάσσης, *terrae extrema et confinia et contingentia mare* adpellarunt, deduci posse censet 10). Nec uero dubitari potest, eximium fuisse Neptuni cultum in Etruria, cum eius incolae Tyrrheni Adriaticique maris imperium longe lateque olim tenuissent; nauesque et ancoras aliaque instrumenta nautica primi Italis monstrassent. Id sane etiam comprobant uetustissimae Etruscorum monetae, quae dicuntur pondera, in quibus delphinus, tridens, ancora, itemque marina conchylia impressa cernuntur.

Etrusci credidisse uidentur, Neptunum aurigarum quoque et factionum Circensium studiis praesidere, equosque domandi rationem docuisse mortales. Id comprobare uidetur eius simulacrum apud Demsterum Tabul. LXXIII. in qua cum Pallade Tritonia, quam *Hippiam* seu *Circesiam* 11) dixeris, pictus est Neptunus Ἵππιος, *equester*, agitans quadrigam. Certe Ludorum Circensium apud Romanos origo ex Etruria deriuatur: unde Neptunum, *Consum*, et certamina in eius honorem instituta *Consualia*, Tusca forsan uoce, appellauerunt 12).

Signum, quod exhibet Tabul. XII. n. 3. uidetur referre *Neptunum Etruscum.* Caput, more Tab. XII. aurigarum Etruscorum, est uelatum, quod insuper corona aequoreis algis contexta redimitum conspicitur,

I 2

1) Diodorus Sicul. Bibl. Histor. L. IV. p. 181.
2) Iliad. Γ. u. 237.
3) Idyll. XXII. u. 2.
4) ibid. u. 29. sqq.
5) Idyll. XXIV. u. 123. sqq.
6) Tabul. XXVII. XXVIII. Tom. I. p. 266.
7) apud Demster. Tabul. VII. Tom. I. p. 78.
8) ἀπὸ τοῦ νίπτειν. a *lauando*, uid. Scalig. L. II. L. II. de causs. Plant.
9) Cicero L. II. de Nat. Deor.
10) in Syntagm. Inscript. Class. I. n. XCVIIII.
11) Pausan in Arcad. L. VIII. C. XLVII.
12) Dionys. Halic. Rom. Antiquit. L. I. p. 26. L. II. p. 100. et Onuphrius Panuin. de Lud. Circens. L. 1. C. 3.

spicitur, rarissimo apud ueteres Graecos et Romanos exemplo; praesertim cum hic etiam imberbi et iuuenili uultu repraesentetur. Neptunum aperte indicat etiam Tridens, quem sinistra manu tenet; quodque dimidia corporis parte, quasi in mari absconditus designatur, quo modo Marina numina et Tempestatum Deas Etrusci expresserunt.

Tritonum capita ostendit Tabul. XII. n. 4. Ea pendent ex ore Delphinorum, qui simul innexi manubrium conficiunt. Cum Etrusci Deorum capita uasis, tripodibus et candelabris Diis consecratis addiderint: uerisimile uidetur, ea quoque Etrusci uasis emblema et ornamentum fuisse; et Tritones apud Etruscos, quod etiam Carthaginienses fecerunt, 1) cultos fuisse.

THETIS

Nympharum mater, an templum et Oraculum habuerit?

Homerus, Aegyptiorum Philosophorum auctoritatem secutus, qui omnia ex aqua constare docuerunt, Oceanum patrem Deorum: Thethyn uero eius uxorem, rerum primordium appellauit 2). Thetidos, ex qua innumeras fere marinas Nymphas ortas ueteres Poetae, Hesiodus,
Tab. XII. 3) Pindarus 4) aliique finxerunt, pulcherrimum signum exhibetur Tabul. XII. n. 5. Superne apparet mulier formosissima, quae pomum sinistra praefert, quod Etrusci Diis Seruatoribus et beneficis tribuerunt: inferne desinit in piscem innexis caudis, quam quidem Numinum marinorum speciem in ueterum Graecorum et Romanorum monumentis conspicere non licet. Cultum igitur huius Deae apud ueteres Etruscos obtinuisse, cum ipsum hoc monumentum, tum etiam Plutarchus in uita Romuli 5) probare possunt, qui tradit, iam diu ante Romam conditam, celeberrimum fuisse huius Deae oraculum, in Etruria, cuius responso Rhea Siluia, Romuli et Remi mater, cum quodam daemone concubuit: quamquam ibi, ob altum apud alios scriptores de Thetidos oraculo silentium, Thomas Demsterus, 6) non *Thetidos*, sed *Themidos* legendum censet. Thetidos sacellum et Oraculum apud Perusinos fuisse, Felix Ciattius ex nomine montis *Thhetio*, qui in ea est regione, coniicit, ubi saepenumero uaria antiquitatis monumenta, columnae marmoreae, statuae, inscriptiones, monetae et donaria erui adfirmat. Sic apud Assyrios quoque diuino honore culta fuit *Ategartis*, quae superne mulier; inferne piscis erat 7). Eodem modo *Scylla*, Tyrrheni maris monstrum 8) superne habuit formam mulieris formosissimae, reliquo uero corpore serpentem retulit, uti eam exhibet urna Etrusca Perusina apud Demsterum Tabul. LXXXX. num. 11. 9).

Aram Neptuno uel Nymphis sacram sistit Tabul. XII. num. 6. cuiusmodi etiam profert Laurentius Begerus, 10) quae procul dubio Etruscae originis fuerunt.

TEMPESTAS DEA,

et de Vulcano sculpto in monumentis ueterum Etruscorum.

Deam *Tempestatem* Romani, Etruscorum potissimum, forte etiam Graecorum 11) exemplo, diuinis honoribus prosecuti fuerunt; eique tamquam minorem gentium Deae, minorum quoque hostiam, agnam nimirum nigram immolarunt. Sic Virgilius Aeneid. L. V. u. 772.

Tris Eryci uitulos, et Tempestatibus agnam
Caedere deinde iubet.

Et

1) Polybius L. VII. uid. etiam Cuperum in Monum. antiquitat. ined. p. 241.
2) Iliad. Ξ. u. 201. et 303. et Plutarch. de Iside et Osiride.
3) in Theogonia.
4) In Isthmiacis.
5) Tom. I. p. 18. edit. Wechel.
6) de Etrur. Reg. L. I. C. 18.
7) uid. Lucian. de Dea Syr.
8) uid. Suidam in uoce Σκύλλα.
9) uid. Phil. Bonarrot. ad monum. addit. Demst. §. XVIIII. p. 25.
10) Vol. III. Thesaur. Reg. et Elect. Brandenb. p. 378.
11) u. Turnebum Aduersar. L. IV. C. XXXII. et L. XIV. C. 4.

Et Horatius Epod. X. u. 23.

Libidinosus immolabitur caper
Et agna Tempestatibus.

Tempestati aedem dedicauit L. Scipio, Barbati filius, ut probat inscriptio antiquissima, quam explicauit Fabrettus Inscription: Cap. VI. n. 90. p. 461. Qua occasione illa fuerit exstructa a Scipione, ostendit Ouidius 1).

Te quoque, TEMPESTAS, meritam delubra fatemur,
Cum paene est Corsis obruta classis aquis.

Fuit autem illa, teste eodem Ouidio, in prima urbis regione extra portam Capenam.

Etrusci alas *Tempestati*, ad uelocitatem eius indicandam; quemadmodum cornua, ad terribilem impetum eiusdem significandum, dederunt 2). Tempestatem efficiunt imbres et uenti, Aquilo potissimum et Notus; unde etiam in ueterum monumentis alati repraesentantur. Sic apud Virgilium Aeneid. L. 1. u. 85. seqq.

Haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus: ac uenti, uelut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.

Hanc Tempestatem Deam refert alatum feminae caput, tribus armatum cornibus, quod exhibetur in Tabul. XII. num. 7. cuiusmodi non raro sculptum in sepulcris ueterum Etruscorum Tab. XII. conspicitur 3); aeque ac Gorgonis, quae ui uocis tempestatem significat 4). In eo tamen differunt, quod Gorgoni angues et alae uel uolucrum, uel serpentum; itemque uitta in capite adduntur: cum Tempestatis caput anguibus crinitum rarissime reperiatur; idque in unica tantum urna apud Demsterum 5). In alia urna fictili TEMPESTAS DEA transuersum tenet remum, uel, ut Bonarrotius censet, nauis gubernaculum; nisi una potius sit *Pleiadum*; quarum occasum plerumque Tempestas sequitur; eaque de caussa nauigantibus fugiendum esse ueteres docuerunt.

Simulacrum, quod refert Tabul. XII. n. 8. 9. uidetur Nympham aliquam *marinam*; uel potius *terrestrem* indicare, quia tunica succincta est, cum Marini Dii Deaeque nudo corpore repraesententur. Corpus monstrosum est; pectus, Etrusco more, strophio seu uittis decussatis decoratur, quas fibula in medio adstringit. Crura eius in Draconum capita, quae manibus complectitur, desinunt: quae etiam cristata et barbata effista sunt. Quamquam enim, teste Plinio, 6) nemo Draconum cristas uiderit, Aethiopes tamen dracones cristatos memorat Iuba apud eumdem Plinium, 7) sicuti etiam Aelianus 8) barbatos et cristatos describit.

Vrna cineraria Etrusca, quae in Tabul. XII. num. 10. repraesentatur, Nympharum marinarum monstrosum ex uno prodiens trinum refert corpus sexus ambigui. Quae media conspicitur, facem adtollit; reliquae duae aquam e concha effundunt. Forsan et hae, cum in urna cineraria sint, Tempestates innuere possunt; siquidem ueteres nullum mortis genus magis reformidarunt, quam cum in aquis perirent. Ob hanc caussam Propertius naufragi Paeti mortem deflet 9).

Perpauca de Vulcano hic sunt adiicienda. Vulcani, secundum Ciceronem 10) fuere complures: primus caelo natus; secundus Nilo natus, *Opas*, uel uti uerior lectio esse uidetur, *Phthas*, ut Aegyptii adpellant; quem custodem esse Aegypti uolunt. Quamquam in omni Etruria nullum Vulcani simulacrum potest reperiri: perquam tamen ueri simile uidetur, eum a priscis eius incolis cultum fuisse. Ferunt eum Thetidi, maris Deae, educandum traditum fuisse 11). Eius imaginem pictam uidere licet apud Demsterum Tabula XXXII. ubi innixus baculo exhibetur, quod e caelo

K delapsus

1) Fastor. L. VI. u. 191.
2) in obseruat. ad Diptych. Romuli p. 238.
3) u. Demster. Tab. LXXXIII. ad Fin. Tom. II.
4) Hesychius in u. γοργός.
5) Tom. I. p. 235.
6) Histor. natur. L. X. C. XXXVII.
7) L. VIII. C. 13.
8) Histor. Animal. L. XI. C. XXVI.
9) L. III. El. V. u. 25.
10) L. III. de Nat. Deor.
11) u. Natal. Comit. Mythol. L. II. C. 6.

delapsus claudus factus est. Quo nomine fuerit ab Etruscis appellatus, declarat insignis patera apud Demsterum Tabula I. in qua Iupiter, Mineruam sapientiae praesidem pariturus, exhibetur: Vulcanus stupens adstat cum bipenni, qua Iouis caput aperuisse poetae fabulati fuerunt. Imagini eius Etrusca inscriptione additum legitur *Sethlanm*, qua uoce Fabrettus 1) putat Ἥφαιστον significari. Herodotus 2) certe memoriae prodit, *Sethon* Vulcani fuisse sacerdotem, qui in inferioris Aegypti partibus regnarit, quippe reges e sacerdotibus eligi solebant.

DIS PATER

ceterique DII INFERI, ab Etruscis culti.

Ditem Patrem, aliosque *Deos inferos* ab Etruscis, antiquissimis iam illis temporibus, summa religione cultos fuisse, *libri Acherontii*, quorum auctores traduntur *Tages* et *Bacchetis* 3) quique magna fuerunt auctoritate apud ueteres Etruriae populos, comprobare possunt. Hosce libros inde nomen obtinuisse multi existimant, quod terrorem incusserunt iis, qui illos consuluerunt; uel quia *Deorum inferorum* sacra, uictimas, morem iisdem sacrificandi, eosque placandi rationem docuerunt. Praeterea iidem illi libri Acherontii declararunt, fata, quamuis ceteroquin essent immutabilia, ad decem annos posse differri, ut notat Seruius 4) ad illa Virgilii 5):

Nec Pater omnipotens Troiam, nec fata uetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.

et alio loco 6)

Atque immota manet fatis Lauinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

ut Ciceronem 7) Plinium 8) Arnobium 9) aliosque scriptores non dicamus. Denique uero etiam monuerunt, quo modo ostenta essent auertenda et fulmina expianda, quae omnia magni fecisse superstitiosam antiquitatem satis constat. Quemadmodum autem Inferorum Regem Πλούτωνα dixerunt Graeci; Romani autem *Ditem Patrem*: ita ueteres Etrusci eumdem *Summanum*, quasi *Manium Deum*, *Summum Manum*, appellarunt. Manes autem dicti sunt a *mano*, i. e. bono. Sic Festus 10): *Manuos* (Manos) *in carminibus Saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos; et inferi Dii manes pro bonis dicuntur a suppliciter eos uenerantibus, propter metum mortis; ut immanes quoque pro ualde non bonis dicuntur.* Quam Festi sententiam confirmare uidentur illa Herodoti 11) ubi de Nasamonibus ita scribit: *ὀμνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους καὶ ἀρίστους λεγομένους* cet.: *iurant per illos uiros, qui iustissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur.* Quare etiam Augilae Manes tantum Deos habuerunt, per eos deierarunt, eos ut oracula consuluerunt, ut scribit Mela 12).

Summanum Etrusci inter nouem illos Deos retulerunt, quos fulmina iaculari crediderunt, quae Etrusco uocabulo *Manubias* dixerunt, quorumque tres diuersas species Ioui, teste Festo, tribuerunt 13): *Summano* autem nocturna fulmina adsignarunt, ut scribit Plinius 14). Phoenices *Ditem Patrem*, quem modo *mortem*, modo *Plutonem* nominarunt, funerum ac sepulturae ritus ostendisse; indeque imperium in mortuos ei datum fuisse finxerunt 15). Quemadmodum uero quidam ueterum per Plutonem et Proserpinam ipsam Terram mascula et feminea uirtute praeditam intellexerant; ita Porphyrius 16) quoque per Proserpinam a Plutone raptam hiberni Solis uirtutem

1) Inscript. antiqu. Cap. VII. p. 541.
2) L. II. C. 41.
3) u. Demster. de Etrur. Reg. L. III. C. I. p. 243.
4) ad Aeneid. L. VIII. u. 398.
5) l. c.
6) Aeneid. L. VII. u. 314.
7) de Diuinat. L. II.
8) Histor. Natural. L. II. C. LII.
9) aduersus Gentes L. II.
10) L. XI. in u. manuus.
11) L. IV. C. CLXXII.
12) L. I. C. VIII.
13) in u. manubiae.
14) Histor. Natur. L. II. C. LII.
15) teste Sanchuniathone apud Eusebium L. II. de Praeparat. Euang.
16) L. III. de Praep. Euangel.

uirtutem intelligit, cuius haec sunt uerba: *ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν εἰς γῆν βαλλομένων σπερμάτων ἥν τις δύναμις, ἣν Ἥλιος περὶ τὸ κάτω ἡμισφαίριον ἰὼν ἕλκει κατὰ τὰς χειμερινὰς τροπάς. Κόρη μὲν ἡ δύναμις ἡ σπερματοῦχος. Πλούτων δὲ ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν ἥλιος, καὶ τὸν ἀφανῆ περὶ νεσῶν κόσμον, καὶ τὰς χειμερίας τροπάς, ὅς ἁρπάζειν λέγεται τὴν Κόρην, ἣν ποθεῖ ἡ Δημήτηρ κρυπτομένην ὑπὸ γῆν. Quoniam uero uirtus est quaedam proiectorum humi seminum, illam subtrahit Sol sub hemisphaerium currens hiemali tempore. Proserpina quidem uirtus illa seminum; Pluto uero Sol est terram subiens, atque occultum percurrens orbem, hibernumque solstitium; atque idcirco raptam ab eo Proserpinam dicunt, quam sub terra latentem Ceres quaeritat.*

Pluto igitur quadrigis uectus est Sol hibernus, cum hiemalibus signis inferius cursum suum peragit 1); et Proserpinam Pluto rapuisse dicitur, quia hibernis mensibus semina sub terris latent, atque solari uirtute fouentur, ut uerno tempore rursus erumpant.

Eamdem uero opinionem ueteres quoque Etruscos fuisse secutos, ex marmore ueteris sepulcri Etrusci apparet. In curru, quo uehitur Pluto, raptor Proserpinae, pro Insigni Gryps sculptus est, solaris uirtutis imago: unde coniicere licet, Etruscos Solis hiberni uim ista fabula declarasse. Galea, quae humi iacet, possit esse Plutonis, cuius mentionem facit Homerus, 2) eaque nubes ac nebulas indicat, quibus hiberno tempore Sol ut plurimum oculis subducitur. Post Proserpinam adstat Mercurius, qui eam complectitur, atque e Plutonis sinu abripere conatur, et ipse in capite habet galeam, chlamyde et tunica amictus. Mercurius uero additus est, quia foecunditatis parens habetur, et uer significat, quo segetes germinant. Quamquam in fabulae huius repraesentatione, in uetustis Graecorum et Romanorum monumentis, Mercurius et Hercules currum praeire solent: apud Etruscos tamen solus Mercurius currum sequitur; cumque nudo corpore ab illis exhibeantur Dii; hic chlamyde et tunica induti conspiciuntur. Furia ueste succincta ante currum equos ducit, uiamque quasi monstrat. Furia altera in medio, alis expansis, accensam nuptialem facem adtollit. Furiae autem, quae eaedem ac Parcae, ideo Proserpinam comitantur, quia fructus in apertum proferunt; utpote quas *a pariendo* dictas censet Varro apud Gellium 3). Figura, quae truncato capite humi ante equorum pedes iacet, tellurem referre uidetur aratro subactam, sub qua segetum semina iacent. Artifices quidem Graeci atque Romani Tellurem, tamquam mulierem sub equis sedentem et copiae cornu tenentem repraesentarunt. Scutum, quod manu tenet haec figura, uel defunctum in hoc sepulcro conditum; uel Pirithoum a Cerbero deuoratum potest declarare.

PROSERPINA

praecipuo honore ab Etruscis culta.

Simulacra, quae Deorum tantum capita referunt, cuiusmodi sunt, quae in Tabul. XIII. num. 2. 3. 4. 5. exhibentur, ad uarios usus adhibita fuisse uidentur. Cum uero lustrali aqua usi fuerint Etrusci in sacris Cereris mysteriis, ac forte in Sacris Proserpinae, ut ostendit uas Etruscum apud Demsterum in Tab. XLVII. ueri plane simile uidetur, in capitibus illis intus uacuis aquam eiusmodi lustralem seruatam fuisse. Porro coniicere licet, a sacris uiris, uel potius feminis parua illa simulacra collo suspensa fuisse, ut ex imagine Laberiae Sacerdotis maximae Cybeles apparet 4). Nec minus etiam sacerdotes Galli, auctore Suida, 5) in honorem eiusdem Deae imagines pectori adfixas gestarunt: quem allatum morem probat aurea bulla, quam eximius antiquitatis inuestigator Franciscus Ficoronius exhibet, 6) e cuius aurea catena pendet icuncula pariter aurea Fortunae Pantheae. Nec uero in pectore solum; sed etiam in capite imagines Deorum coronis insertas uel pretiosis gemmis insculptas praeferre solebant sacerdotes Deorum 7). Aegyptiis primum in usu fuit imagines Deorum collo suspensas gestare, a quibus demum ad alias gentes consuetudo ista manauit 8). Tab. XIII.

 Etrusci

1) Macrob. Saturnal. L. I. C. XIX.
2) Iliad. L. V.
3) L. III. C. XVI.
4) u. Spon. Miscellan. erudit. antiquitat. Sect. IV. p. 150. n. 1.
5) in u. Γάλλος.
6) in opere, cuius titulus est: la Bolla d' Oro &c. p. 8.
7) u. Donianas Inscription. Tab. VIII. p. LXVIII. et LXVIIII. ad pag. 135. relat.
8) u. Canopi imaginem in Musei Florent. T. I. Tab. LIX. apud Causeum Musei Rom. Tabul. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. Sect. II. p. 54. In Part. I. Inscript. antiqu. Etrur. urb. Tab. XVII. n. IV. p. LXXXII.

Etrusci artificii esse has imagines, cum ipsa sculpturae indoles, tum ornamenta quoque, inaures, monilia, torques, diadema duplex in medio maiori gemma distinctum, alae Etruscorum more additae capiti, facile probare possunt. Proserpinae autem esse hasce imagines, uultus propriis hisce lineamentis ab artificibus semper expressus; et capilli in elegantes plexus dispertiti, ac more uirginum nodo collecti et religati declarant 1). Calathus capitibus hisce impositus cernitur, innuitque Proserpinam esse Terram, ac inde *Sospitam*, *Salutarem* et *Frugiferam* adpellatam. Forte haec capita fuerunt donaria uoti caussa suspensa, et aqua terrae ad fertilitatem gratissima impleta: uti etiam in sacris compitalibus effigies uiriles et muliebres in Larium honorem suspensae fuerunt; quod Festi uerba probant: 2) *uiriles et muliebres effigies in compitis suspendebantur Compitalibus ex lana, quod esse Deorum Inferorum hunc diem festum, quos uocant Lares, putarent.* Præ omnibus Etruriæ populis Tudertes 3) et Amiternenses 4) aris et templis Proserpinam coluerunt.

HECATE

Etruscorum Dea. Imagines TISIPHONES, MERCVRII, et GENII INFERNI ex uetustissimis Tuscorum monumentis.

Tab. XIII. Hecaten, quam ueteres plerumque horribili adspectu et crinito anguibus capite finxerunt, 5) Etrusci triplici uultu, uirgineo eoque formosissimo repraesentarunt, ut eiusdem figura Tabul. XIII. num. 6. declarat. Videtur fuisse eximium ornamentum candelabri, quod perbelle huic Deae conuenit, quae et nocturnis sacrificiis culta, et φωσφόρος, δᾳδοῦχος, *lucifera* et *taedifera* fuit appellata 6). Sicuti autem ueteres Etrusci Ianum tricipitem, uel etiam quadriformem repraesentarunt, eo quod eumdem Solem esse existimarunt: ita Hecaten, quae eadem est ac Luna et Diana ideo triplici facie effinxerunt, quod tres lunae figuras referat, *in cornua curuatam*, *dimidiatam* ac *plenam*; 7) unde etiam eam τρίμορφον, τριπρόσωπον dixerunt. Appellata etiam fuit haec Dea Τριοδῖτις, *Triuia*, eo quod, teste Aristophanis Scholiaste 8) in triuiis fuit culta: Τὴν Ἑκάτην ἐν τοῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἀρτέμιδα καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. *Hecaten antiquitus in triuiis coluerunt; propterea quod eandem et Lunam, et Dianam et Hecaten uocarunt.* Insignis locus est apud Athenaeum: 9) Δέσποιν' Ἑκάτη Τριοδῖτι, Τρίμορφε, Τριπρόσωπε, Τρίγλαις κηλευμένη. *O domina Hecate, Triuia, Triformis, triplici facie praedita, quae mullis propitiaris,* et apud eundem L. VII. c. XVIII. Τριγλίδες, Ἑκάτης βρώματα, *Triglides*, *Hecates cibi* appellantur. Qua ratione nos quidem adducti censemus, ipso illo candelabri fragmento, quod in superiori parte superest, eiusdem piscis squamas referri.

E capillis hujus Deae pendent utrimque, tamquam uittae, duplices cincinni satis prolixi: Caput praeterea ornatum est corona ex lana intorta, quae quinque rosis quadrifoliis, seu potius maluis, Diis inferis sacris, tamquam quinque gemmis, est distincta. Quodsi uero rosas esse malimus, satis ex antiquitatis monumentis constat, eas cum in parentalibus; tum etiam in conuiuiis fuisse adhibitas, ut deciduo flore properantis fati memoria significaretur. Hecates filiae fuerunt *Medea* et *Circe*, quarum imagines uidere licet in Part. I. Inscriptionum antiquarum, quae exstant in Etruriae urbibus 10.)

Imago, quae cernitur in Tabul. XIII. num. 7. iudice Felice Ciattio 11) sistit Hecaten, ad cuius iudicium Mercurius Πομπαῖος uel ψυχάπομπος, *animarum ductor*, animam defuncti collocat. Possit tamen ea etiam Tisiphonen referre, ad quam Mercurius defunctos adducere, eorumque nomina recensere existimabatur, uti auctor est Lucianus 12). Quo facto, uni ex inferi regni iudicibus, *Rhadamantho*, uel *Minoi*, uel etiam *Aeaco* sistuntur, ut in ueterum fabulis est; ac denique Furiis testibus sua peccata confessi, ad aeternas tenebras et Tartari supplicia damnantur.

Quoniam

1) u. Pausanias in Phocic. L. X. C. XXV.
2) in u. Pilae.
3) Ex Inscription. Gudian. P. LX. 2.
4) u. Reinesium in Synt. Inscript. Cl. I. n. 234.
5) Natalis Comit. Mytholog. L. III. C. XV.
6) ex Scholiaste Theocriti in Idyll. II. u. 12.
7) u. Vossium de Orig. et Progr. Idolol. L. II. C. XXXIIII.
8) in Plutum Act. II. Scen. V.
9) L. VII. C. XXI.
10) Tabul. XVI. n. I. (et III. p. LXXVIII. et LXXVIIII.
11) L. IV. Perusiae Etruscæ p. 121.
12) in Cataplo s. Tyranno p. 81.

Quoniam uero Mercurius, in obeundo hoc munere, chlamydatus, cum capite petasato uel galeato et cum caduceo repraesentatur, quibus uero insignibus in antiquo hoc monumento caret: forte Genius potius, animae defuncti comes, haberi possit. Nec sane antiquae inscriptiones nos dubitare sinunt, etiam Diis inferis genios, tamquam famulos fuisse adsignatos 1). Quod autem haec defuncti umbra statura est reliquis maiori, ea uidetur esse caussa, quod animas post mortem ampliorem nancisci formam ueteres crediderunt.

Hanc inferorum Deam apud ueteres Etruscos atque Vmbros, Spoletini coluerunt, eique templum cum Neptuno Conso commune dedicarunt, uti uetus inscriptio apud Reinesium 2) probat; cuius rei ea uidetur fuisse causa, quod per Oceanum animas defunctorum ad Elysios campos deuehi crediderunt; ut ex Homero 3) nec non antiquis sepulcris apud Dempsterum 4) manifeste probari potest. Praeterea uero etiam Amiternenses 5), Formiani 6), qui sacerdotes eius Numini consecrarunt, ut et alii Italiae populi hanc Deam diuinis honoribus prosecuti fuerunt 7).

LIBITINA DEA
siue VENVS, siue PROSERPINA, siue HECATE sit, ab Etruscis culta.

In patella aerea omnium uetustissima, quam exhibet Tab. XIV. n. 1. 2. sistitur Dea gradienti similis, cum alis expansis supra modum grandibus: si amiculum ante pectus excipias, toto paene corpore est nuda Vtrumque brachium et manum dextram non male sculptam; sinistram uero ualde distortam deorsum extendit. Deae caput galea tegitur, quae pileum phrygium imitatur. Ea uidetur esse *Clotho* Parcarum maxime terribilis; uel *Dea Libitina*, cui Ethnici ea, quae ad ortum et finem hominis pertinent, adscripserunt 8). Praeerat funeribus omnique funeris adparatui, qui in aede eius a Libitinariis uendebatur. Aerarium ex instituto Seruii Tullii eius tutelae adsignatum legitur 9), in quod, aliquo mortuo, nummus a propinquis inferebatur, impensis funeris et nominibus defunctorum notatis. Sic Veneris Epitymbiae, sepulcrorum Praesidis, imaguncula fuit Delphis, ad quam libenter defunctorum Manes euocabant, teste Plutarcho 10). Eiusdem Deae seu *veneris inferae* aereum simulacrum in ueteri aedificio subterraneo, quod Hypogei speciem praetulit, Pisis inuentum refert Tabul. XIV. n. 3. Sistitur uolanti similis, alis expansis, quasi parata ad iuuandum. Dextra pateram attollit, quasi ostendat, diuinis libationibus defunctorum animas ab inferis esse euocandas. Apud Homerum eadem Venus cadauer Hectoris rosaceo oleo ungens inducitur 11). In gemma aliqua rarissima cum Ioue Stygio sculpta est Minerua ante aram, praeferens pateram, qua Diis Manibus inferiae mittuntur 12). Libitinae nomen Etruscae uidetur esse originis; eaque templa et aras habuit Romae. Tab. XIV.

In funebri illo adparatu, praeter alia, fuerunt etiam personae, oscilla, quae tamquam imagines uitae humanae uariarumque aetatum simulacra Diis manibus consecrabantur. Horum specimen est in eadem tabula n. 6. Has defunctorum personas in usu fuisse apud Romanos, probat sepulcrum editum in Demsteri opere, in quo columnis eiusdem sepulcri impositae conspiciuntur 13).

PARCAE, FATA, FVRIAE,
pro Deabus habitae.

A *Parcarum Fatorumque* ineluctabili uoluntate et imperio omnia tam secunda, quam aduersa hominum fata proficisci, non ueteres solum Graeci et Latini, sed Etrusci quoque sibi persua-

L

9) V. Fabrettus inscript. antiqu. c. II. n. 71. p. 73. et Gruterus p. XXIII. 6.
2) Class I. n. CLIV.
3) Odyss. L. IV. u. 565.
4) ad finem L. I. p. 102. L. V. p. 405. L. VII. p. 498.
5) u. Reinesium Class. I. n. CCXXXIV.
6) u. Donian. Inscription. Cl. III. n. 6. et Reines. Cl. V. n. XIX.
7) u. Gudian. Inscription. p. XXIII. 5. XXXI. 3.
8) Vide Plutarchum in uita Numae.
9) Ex Dionysio Halicarnass. L. IV. Ex Plutarcho in Caussis.
10) Ibidem.
11) Iliad. L. XXIV. Vide etiam Athenaeum L. XV. c. XI. p. m. 688.
12) Vid. in Mus. Florent. T. II. Tab. LXXII.
13) Vid. in Tom. I. in fine Praefationis.

suaserunt. Parcarum nomina et summam earumdem potestatem refert Hesiodus in Theogogon. u. 218. sqq. *Fatorum* arbitrum et *Parcarum* Ducem *Iouem* crediderunt, inde Μοιραγέτην appopellatum, quamquam Apollo quoque hoc nomine fuit ornatus 1). Vnde iuxta eorum aras *Parcarum* simulacra posita Delphis fuerunt; et in Diademate Iouis earumdem signa artifices sculpsere, quia is solus, quid boni maliue homini fato praescriptum sit, nosse putabatur 2).

Etrusci *Parcas* et *Fata* in sepulcris cultu uirginali uel matronali, palla amictas, modo aperto, modo uelato capite repraesentarunt, ut ostendit Etrusca arcula relata in Tabul. XIV. n. 4. 4. 5.
Tab.XIV. Pedestri itinere praeeunt Deae, uiamque monstrant iuueni, qui equo insidet, eumque currentem freno moderatur. Prope pedes iacet uasculum, urna forte, e qua fatalis sors exiit secundum Horatium 3): *omne capax mouet urna nomen.* Parcae heic defuncti animam ad Elysios campos ducere uidentur, cuiusmodi uaria exempla occurrunt apud Fabrettum 4). Nomine *Matrum* ac *Matronarum*, quibus tot arae dedicatae leguntur in Gruteri Thesauro, *Parcae* seu *Fata* uiderentur significari: quamquam in eodem thesauro multae occurrunt arae a uariis gentibus expresso nomine *Parcis* dedicatae. Cum *Parcis* et *Morte* ueteres Fata confuderunt, et *Diis Manibus* imperium in Fata tradiderunt, quasi essent uitae necisque hominum arbitri. Sic in antiquo lapide apud Fabrettum 5) D. M. FATORVM ARBITRIS. In nummis Diocletiani Imperatoris FATA VICTRICIA appellantur: sinistra taedas praeferunt, et dextras inuicem nectunt. Fata, a Ioue separata, differri posse, Etrusci ex Aruspicinae libris et sacris Acherontiis docuerunt 6).

Denique de FVRIIS, PARCARVM FATORVMQVE comitibus in ueterum sepulcris saepe obiis, quaedam sunt proferenda. Vt ex sepulcralibus urnis, in quibus diuersimode FVRIAE repraesentantur, ac diuersa, iussu Iouis, obeunt officia, coniicere licet, uarias earumdem species et classes credidisse ueteres Etrusci uidentur. Praeterea, cum istae Deae ab Etruscis, rebus omnibus humanis praesentes, ac bonos praemiis remunerari; malos autem ac scelerum patratores insectari ac punire crederentur: ualde uerisimile uidetur, Etruscos homini semper praesentem Deum credidisse, iudicem actionum et inspectorem. Habentur quoque Furiae, ab Etruscis uoluntatis et irae diuinae ministrae, bonae mentis donatrices, scelerum metuendae ultrices; quam opinionem secuti quoque sunt Aegyptii, qui Numina quaedam mortalium conscientiae praeesse crediderunt, quod ex plurimis eorum simulacris, cum scutica et flagellis in manibus, effictis recte colligitur. Et ab hac gente uidetur deriuandum, quod Etrusci pariter ac Graeci FVRIAS ad sontes homines plectendos armis instructas repraesentarunt. FVRIAE minaci gestu ac uirgam in dextra manu tenentis imago exhibetur apud Demsterum Tabul. XXV.

Defunctorum animas *Furiae* uel in Tartarum atque infera regna agunt, ubi aeternis suppliciis ac cruciatibus homines impii ac scelerati iustas poenas luunt; uel ad sedes illas beatis descriptas, Elysiorum beatitudinem, pios deducunt, ubi aeterna felicitate, gaudiisque perpetuo duraturis fruuntur. In Tabul. LXXXVIII. apud Demsterum ex pictura ueteris Etruscorum cryptae, in qua damnatorum supplicia in Orco exhibentur, sistitur imago *Furiae*, quae ad animam defuncti (qui expressus est manibus in aëra suspensis, totoque corpore nudus) cruciandam, uidetur expedita et parata: iuxta illum suspensum reum alia Furia ardentes admouet taedas, quibus illum aduritit. E brachiis eiusdem Furiae pendent manticae siue sacculi, quorum unus uacuus, alter plenus conspicitur. Forsan in uno sacculo bona, in altero mala eius inesse putarunt, secundum uetus illud prouerbium: *Non uidemus manticae, quod in tergo est* 7), et Persium 8):

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo;
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

Sic in diuina Apocalypsi 9) Angeli e phialis et uasis bona iustorum Deo offerunt: e phialis etiam mala, Dei iussu, in homines effundunt: et alibi Angeli, quibus Deus in puniendis improbis utitur, tenentes gladios flammeos, armis instructi et ex equis pugnantes describuntur. Praeter taedas autem Etrusci FVRIIS contos quoque, hastas, secures, malleos et gladios tribuerunt, ut

1) Pausanias in Phocicis L. X. c. XXIV.
2) Idem in Eliac. L. V. c. XV.
3) Carminum L. III. Od. I. Et Carmin. L. II. Od. III.
4) Inscript antiqu. cap. III. p. 161. sqq.
5) Inscript. antiqu. cap. II. n. II. p. 87.
6) Ex Seruio in Virgil. L. VIII. u. 398.
7) Apud Catullum, ad Varum Carm. XIX.
8) Satyr. IV. u. 5.
9) cap. XV. 7. XVI. XVII. saepe XXI. 9.

ut ostendunt allata apud Dempsterum monumenta 1) FVRIAM tenentem harpen exhibet Tabul. XIV. n. 5. nuptiis adstantem, quae ante ianuam domus, Etruscorum more, celebrantur. Bonarrotius 2) mulierem siue puellam alatam hanc in laeua adstantem iuxta sponsam esse putat *Discordiam*, inter infernalia Numina ab Hesiodo relatam, quae tenet gladium uagina nudum: iuuenem uero pariter alatum, qui ad dextram iuxta sponsum sculptus est, caput habentem ferina pelle contectum et mallei manubrio innixum, esse Genium, forsan Zelotypiae Praesidem, arbitratur. Hic uero Deus referre etiam potest *Picumnum* uel *Pilumnum*, cum uiri, tum uxoris genium; hos enim Varro apud Nonium Marcellum uocat Deos coniugales, quibus in aedibus lectus sternebatur. Iidem Dii etiam uitae Praesides et custodes habebantur; qui, ne Mars Syluanus in domum irreperet, et pueros recenter natos, ut superstitiose putabant, uexaret, ad tutelam domus ante fores statuebantur.

Nec *Furina* Dea hoc loco est praetereunda, cuius imago exhibetur Tab. II. n. 11. 12. 13. quam, tamquam Furiarum maximam, Tusci praecipua religione coluerunt. Huic Deae comitem dederunt FVROREM, specie uiri barbati, nudo corpore, gladium praeferentem, ad caedes et clades paratum, cum capite tutulato expressum, uti ex antiquissima Etrusca urna sepulcrali apparet.

Ornamenta, quibus hae Deae ignotae, quas nos FVRIAS appellamus, ornatae reperiuntur, sunt uirgineus uultus isque pulcherrimus; capilli puellarum more comti et religati; qui uero interdum soluti atque horrentes conspiciuntur. Caput modo est apertum, modo peplo uelatum, 3) saepe alis ornatum, quandoque etiam diademate cinctum. Alatos habent humeros: saepe uero alis etiam carent, cum in capite, tum in humeris: nunc utraque manu facem praeferentes; nunc sine ea, aliisque iam descriptis armis conspiciuntur. Frequenter etiam, ut a Tragoedis Graecis et Latinis inducuntur in scenam, ornatae sunt ueste breuiore ac succincta: nudo pectore, solis subligaculis praecinctae, cum brachiis nudis, uel intectis purpureis brachialibus iisque reticulatis, uel e panno rubro perpetuo adsutis, quod genus uestis numquam eruditis uisum obseruat Bonarrotius 4). Nudis pedibus interdum stant, frequentius tamen ornatae calceis clausis et cothurnis. Has Deas quamquam Etrusci omni cultu exornarunt, raro tamen inaures, monilia, et armillae in iis conspiciuntur.

Furias praecipuo cultu uenerati sunt Athenienses, quas Deas σεμνὰς, *seueras* et *uenerandas* uocarunt, iisque templa, simulacra, aras, sacrificia et sacerdotes consecrarunt 5). Apud Sophoclem ita inuocantur 6):

> Καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους
> Σεμνὰς Ἐρινῦς ταχύποδας.
>
> Imploro autem opem semper uirginum,
> *Venerandarum*que et uelocium *Furiarum.*

Eas quoque coluerunt Arcades 7), itemque Sicyonii 8), qui Εὐμενίδας 9); Messenii, qui Μανίας appellarunt, teste Pausania 10). Maxime uero omnium, testibus antiquis monumentis, *Furias* uenerati sunt Etrusci, quos etiam secuti sunt Romani. Victima earumdem fuit aeque ac aliorum Deorum inferorum *nigra agna*, siue *aries*, ut probat Etrusca cineraria urna apud Dempsterum 11) edita: in qua Diis maioribus inferis maior uictima; minor minoribus immolanda ad aram ignitam adfertur, adstantibus cum sacerdote pluribus ministris, quorum unus tympanum pulsat; altar tibiis canit; alter aerea pulsat crotala; alter uero epulas in lance portat, ceteri suum peragunt ministerium. Placatas fuisse interdum uictima humana furias, cum uirgo a Mithridate immolata, cuius mentionem facit Obsequens 12); tum alia Etrusca monumenta testantur. Tanta autem erat, etiam apud alias gentes, reuerentia et timor Furiarum, ut ne nomina quidem earum quisquam proferre, nedum per eas iurare auderet, cum grauissimae et inexorabiles ultrices haberentur 13).

L 2 Vna

1) Tab. XXI. n. I. XXV. XLIV. 1. 2. L. 2. LII. 1. LIII. 1. 2.
2) Ad monument. addit. Demstero §. XXXIV. p. 64.
3) Vide apud Demster. Tab. LXXXIV. n. 7.
4) Ad monum. add. Demst. §. XXVI. p. 41. 42.
5) cf. Ciceron. L. III. de natur. Deor.
6) Apud Suidam T. I. p. 64.
7) Pausan. in Arcad. L. VIII. c. 25.
8) Vide ibidem.
9) Idem Lib. VIII. c. 34.
10) In selectu Numism. Imperat. p. 180. Antiochenos memorat Seguinus.
11) Tab. XXXVI. ad Tom. I. p. 278.
12) De Prodigiis.
13) Vide quae notat Natal. Comes L. III. Mythol. c. X.

Vna FVRIARVM sculpta uidetur in fictili patera, quam refert Tabul. XIV. n. 6. Caput Deae foliacea corona est ornatum: literae adscriptae sunt *Tirthira*, uel *Larthi Tirthiral*, quasi haec patera ad sanguinem uictimarum excipiendum dedicata fuerit *Regi Tartari*, nimirum *Ioui Stygio* siue Plutoni, quem ueteres Etrusci *Manum*, *Summanum*, et *Mantum* cognominarunt. Forsan aliquis existimet, esse caput *Hecates* alis instructum, horrendumque in modum anguibus innexis circumdatum, iisdemque sub mento adstrictum, cum lingua ex ore tristi exerta. Verum, cum in Etruscorum monumentis regina, *Larthial* dicatur, prior sententia magis uidetur ad ueritatem accedere. Praeterea exinde colligitur τὸ *Tartarus* esse Etruscam uocem ex *Tirthira* seu *Tirthiral* deriuatam. Graeci per Τάρταρον intelligunt *tremendum inferni locum profundissimum*que; unde Ταρταρίζω apud Plutarchum, *tartareo frigore tremo atque inhorresco*. Vnde *Larthi Tirthiral* recte explicari potest, *Regi Tartareo*, quo cognomine inter ceteros Plutonem *Deum Tartareum* appellat Ouidius 1). In peruetusta ara 2) Pluto dicitur quoque *Vragus*, Etrusca forsan uoce a Latinis postea recepta, quod *urgeat* ad Orcum mortales: uid. Horatius 3).

Nec deerunt, qui hoc *Gorgonis* caput putent; occurrunt enim, ut *Tempestatum* Dearum; ita etiam *Gorgonum* capita alata anguibusque crinita in sepulcris ueterum Etruscorum, quae malignum *Fatum* connotant. *Gorgonis* caput ita in medio Furiarum constitutum ostendit Bonarrotius apud Dempsterum 4).

Non autem in sepulcris tantum, sed in ianuarum quoque uel sellarum bullis Tusci Gorgonis caput sculpserunt, tamquam amuletum, aduersus uiolatorum iniurias. Argenteae huiusmodi bullae schema conspicitur in Part. II. Inscription. antiquar. quae in Etruriae urbibus repeiuntur. 5).

Mortem et *fatum* malignum praefigurarunt Etrusci in sepulcrorum sculpturis, non solum Gorgonis capite, sed etiam Leonis rictu. Adde fabulosum monstrum apud Etruscos terribilissimum, quod uocarunt *Voltam*, cuius meminit Plinius 6) quod sculptum esse censet Bonarrotius in urna Perusina apud Dempster. in Tabul. XXV. ad indicandam mortis uim potestatemque.

Inter inferni monstra est quoque *Cerberus*, quem quidem in sepulcris ueterum Etruscorum numquam; in gemmis uero caelatum, Tusco plane artificio, saepius licuit uidere, in scarabeis, quae sacra animalia cum sint perforata, perspicuum est, uel e brachiis, uel circa pectus e torque adligata pependisse. Inferorum fabulas primi omnium Aegyptii, teste Diodoro, 7) commenti sunt, a quibus Etrusci aliaeque gentes acceptas uariis figmentis auxerunt.

AETERNITAS

Deorum Comes. GENIVS famulus Diis adsignatus ab Etruscis. Imago GENII MINERVAE ex insigni patera adfertur.

Aeternitatem, quam immensam, sine origine, sine fine dicit Censorinus 8) Aegyptii Solis et Lunae, itemque serpentis sibi caudam depascentis imagine coluerunt, quia haec *sidera aeterna* crediderunt; uti etiam in uetustis Romanorum aris saepe uocantur 9). De serpente eleganter Claudianus, ubi aeternitatem describit 10).

Etrusci quoque AETERNITATEM specie pulcherrimae mulieris, omnique cultu elegantissimae coluerunt, cui alas in humeris, capiti duplex diadema gemmis distinctum, inaures, torquem, armillas pluribus dependentibus bullis insignes, calceos quoque ornatissimos tribuerunt. Imago huius Deae in Demsteriano opere exhibetur Tab. II. 11) addita Etruscis litteris inscriptione *Ethis*: qua uoce *tempus*, *aeuum*, uel aeternitas designatur 12). Forsitan Latini uocabulum *aetas* hinc acceperunt. In Achate, scarabei specie inciso 13) exhibetur *Hercules fontinalis*, ubi hae litterae leguntur *Aiora* pro ΑΙΩΝ, qua uoce immortalitas huic Heroi debita designatur.

Aeter-

1) L. I. Trist. Eleg. VIII. u. 32.
2) Inter Gudianas edita. p. LX. 6.
3) Carm. L. IV. Od. IX. et L. I. Od. XXIV.
4) In fine Dissertat. ad Monum. addit. Dempstero p. 110.
5) Inter Inscriptiones Pistorii et Prati. p. 129.
6) Histor. natur. L. II. c. L. III.
7) L. I. p. 60. 61.
8) cap. XVI.
9) u. Gruter. p. XXXII. 9. 10. 11. XXXIII. 5. 6.
10) L. II. de laudibus Stiliconis uersus finem et uid. Barthium p. 272.
11) Tom. I. p. 79.
12) u. Bonarrotius ad monum. addita Demstero §. XIII. p. 20. et §. XXXII. p. 59.
13) u. Museum Florent. Tab. XIV. n. IV. Vol. IIdo.

Aeternitati iungimus merito *Genium*, quem Etruſci Diis ſuperis famulum adſignarunt, ut docet Etruſca patera in Demſteriano Opere Tab. II. Cernitur in ea ſublatis manibus, expanſisque alis *Genius*, qui adſtantibus *Iunone* et *Minerua* itemque *aeternitate*, Herculem in caelum deducit. Eodem modo etiam in nummis et gemmis ſculptus eſt genius, qui Deos ad caelum extollit: uel etiam ſupra capita Deorum in aëre ſuſpenſi plures genii coronas imponant: quae omnia imitati ſunt recentiores pictores, cum Sanctorum imagines exhibuerunt. Sic *Iulius* quidam, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi 1) iuſſu Romuli ſibi uiſi populo Romano narrauit, ipſum a ſuo GENIO in concilium Deorum ductum fuiſſe.

Plures autem *Genios* Diis fuiſſe adſignatos, antiqua monumenta nos dubitare haud ſinunt: qui a Diis, quibus ſeruiebant, e. g. a *Ioue*, *Iouiales*; a *Saturno* *Saturnii*; a *Mercurio* *Mercuriales*; a *Marte* *Martiales* appellati fuerunt.

Mineruae quoque ab Etruſcis datum eſſe *Genium*, patera antiqua relata in Tabul. XIV. n. 7. probat. Cernitur in ea Minerua ſedens in nubibus, quae ad caput usque Deae adſurgunt; adſcripto Etruſcis litteris nomine *Menrva*, id eſt, *Minerua*. Haſtam ſiniſtra tenet; caput criſtata galea eſt inſigne; capillis ſolutis, inauribus ex auriculis dependentibus. Brachia nuda ſunt armillis ornata, collum torque; pectus aegide, cum Gorgoneo capite in medio adfixo, et in ora extima anguibus armatur. Tunica exterior breuis eſt, interior talaris, gemmis, quaſi floribus undique diſtincta, quam ueſtem Graeci dicunt πεποικιλμένην, *uariatam et picturatam*; pedes induti ſandaliis conſpiciuntur.

Coram Minerua ſtat eius *Genius*, duplici tunica, altera breuiore; altera prolixiore ſuccinctus; nudis brachiis, quorum laeuum duplici armilla decoratur, nudo utroque genu, cruribus ornatis periſcelidibus, pedibusque Tyrrhenis calceis indutis. Ramuſculum dextra gerit. Inaures oſtendunt, *Genium* Mineruae datum, eſſe feminam. Ex quo colligitur, Diis maribus mares; feminis uero feminas a Tuſcis adſignatas fuiſſe. Adſcriptae ſunt Etruſcis litteris uoces, *Laſa*, *Feki*: quarum illa ex Graeca uoce λαοσσοος, Mineruae cognomine, *ſeruatrix populi* uidetur deducta, uid. Theocriti interpres 2) nec non Heſychius et Phurnutus 3). Complura autem Etruſca uocabula ex radicibus Graecorum facile deduci poſſe, uiris doctis iam eſt perſpectum. Altera autem uox *Feki*, forſan per compendium ſcripta, eſt *Fecialis*: ut adeo tota inſcriptio, *Laſa*, *Feki*, Latine reddita ſignificet: SERVATRICIS POPVLI FECIALIS (intellige *Mineruae.*) Fecialium, quorum ſumma fuit auctoritas, origo ab Etruſcis eſt deriuanda, quamquam Dionyſius Halicarnaſſenſis 4) eam a Pelasgis ante Romam conditam; et Liuius 5) non ſine inuidiae ſuſpicione, ab Aequicolis eſſe repetendam contendunt. *Numam* autem *Fecialium* inſtitutionem et iura ab Etruſcis accepiſſe, rationi magis eſt conſentaneum. Id indicat Etruſcum nomen *Fekial*, unde Romani *Fecialem* dixerunt. Dionyſius eos appellat σπονδοφόρους: et alias a Graecis Εἰρηνοδίκας uocatos tradit 6). Varro: 7) *Feciales*, inquit, *quod fidei publicae inter populos praeerant: nam per hos fiebat, ut iuſtum conciperetur bellum.* De his lege cautum apud Ciceronem: *foederum, pacis, belli, induciarum, Oratores, Feciales, iudices ſunto: bella diſceptanto.* A *fando* dictos cenſet Voſſius, eo quod *Oratores* ſunt dicti etiam apud Varronem de uita populi Romani: *itaque bella et tarde et nulla licentia ſuſcipiebant, quod bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere; et priusquam indicerent bellum iis, a quibus iniurias factas ſciebant, feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos Oratores uocabant.* Cum bellum hoſtibus indicerent, telum ſiue haſtam in agrum eorum iaciebant. Hunc autem *Mineruae Seruatricis populorum* GENIVM ab Etruſcis uocatum fuiſſe *Fecialem*, ex alia aheneae ſtatuae inſcriptione, 8) quae iudice Bourguet, *Fecialem* ſacerdotem ſummum, quem *Patrem patratum* dixerunt, repraeſentat, colligitur. In limbo togae inter alia haec quoque ſcripta ſunt: *Feſial Kienmiken ſuprem.* Latine: *Fecialis Sacerdotum*, (uel ſacerdos) *ſupremus.* Vnde perſpicitur *Fecialis* et *ſupremus*, Etruſcas eſſe uoces, in Latium illatas. Ramuſculus ille, quem Genius Mineruae manu dextra praefert, uidetur eſſe *uerbena*, quam etiam Botanices periti *herbam ſacram* appellant 9). Hac uerrebant ſacras

1) Antiqu. Rom. L. II. p. 124.
2) in idyll. IV. u. 24.
3) de Natura Deorum num. XX.
4) Antiquitat. Rom. L. II.
5) L. I. Vide etiam auctorem de uiris illuſtrib. cap. IV.
6) L. I. et II.
7) L. IV. de L. L.
8) Hanc uide apud Demſterum Tab. XL. Tom. I. p. 28. et in Tom. III. Muſei Florent. Tab. LXXXI.
9) Vid. Petr. Pena Aduerſ. et Matth. Lobel Londin. 1605. et Turnerium in Plantarum hiſtoria.

mensas, hanc manibus gestabant in sacrificiis, eademque caput suum et aras coronabant, atque ex incensa suffitus in honorem Deorum faciebant 1). Quare *uerbena* fuit *Fecialium* maxime proprium insigne; de qua Seruius ad Virgilium 2): *Verbena proprie est herba sacra*, ros marinus, *ut multi uolunt, id est* λιβανωτὶς, *sumta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales et Pater patratus, foedera facturi, uel bella indicturi. Abusue tamen* uerbenas *iam uocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliua uel myrtus.* Et Plinius de usu uerbenae haec adfert 3): *siquidem auctores imperii Romani conditoresque immensum quiddam & hinc sumserunt*; (hoc est ex herbis) *quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, et in sacris legationibusque uerbenae. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper et legati* (qui idem munus gessere, ac antiqui Feciales et Oratores) *cum ad hostes clarigatumque mitterentur*, (id est, res raptas clare repetitum) *unus utique uerbenarius uocabatur.* Et alio loco idem 4): *Haec est* (uerbena) *quam legatos ferre ad hostes indicauimus.* Hac *Iouis mensa uerritur, domus purgantur lustranturque.* Quae cum ita sint, duplicibus uerbenae ramusculis inuicem plexis hanc pateram ornatam esse arbitror, tamquam herba sacra Mineruae, et a Fecialibus adhibita, quia major ejus copia in muris et in arcibus, ubi Mineruae simulacra et templa ad urbium tutelam statuebantur, nasci solet.

Hic porro Mineruae Genius Tyrrhenis calceis est indutus, simillimis iis, quibus Mercurius conspicitur, eo quod *Feciales* et *Legati*, salutis ciuium caussa, itinera conficere solebant. Videtur haec patera a FECIALIBVS Tuscis in sacrificiis, quae in honorem Mineruae atque eius Genii fiebant, fuisse adhibita.

GENIVS PVBLICVS

Praestes Deus ueterum Etruscorum.

Admirandum plane Etruscorum artis opus est GENII siue *Dei Praestitis* simulacrum, ad mensuram iusti iuuenis expressum altitudine pedum Romanorum V. unciarum fere IV. quod cum eximio illo signo marmoreo, toto orbe famoso, Veneris, Phidiae uel Praxitelis, ut creditur, opere, cognomento Mediceae, de palma merito certare possit.

Capilli piscis squamas referunt. E gestu dexteri brachii ac manus intelligitur, pateram antiquitus gestasse. Praesentes propitiosque Deos ita expresserunt ueteres, et ita in epiphaniis adparere solebant. Sinistrum brachium et manum femori admouet. Equidem credo referre *Publicum Genium Deum*, quem forte celebri in loco conuentuque omnes Etruriae populi coluerunt; uel Deum Salutarem et seruatorem, ex eorum numero, quos Romani *Deos Praestites* appellarunt; ac non modo ad tutelam hominum, sed etiam regionum, regnorum et urbium uigilare et adesse ueteres crediderunt.

Oculi sunt uacui pupilla, quorum loco gemmas crediderim fuisse insertas. In hoc enim elegantiae genere Etrusci Graecis Latinisque praeiuisse uidentur, qui hunc morem secuti statuis oculos ex auro, argento, uel lapillis pretiosissimis reposuerunt. Meminit huius rei *Caecilius Balbus* apud Ioannem Sarisberiensem 5). *Quis enim Deorum ei parcat, a quo se deceptum intelligit? Quis enim irruat in eum, qui aureos Iouis oculos eruit?* Gemmeos oculos Sanctorum simulacris ueteres quoque Christianos reposuisse alibi ostenditur.

GENIVS DOMESTICVS,

Lar Praestes ueterum Etruscorum.

Aegyptii primi omnium, Genios hominum custodiae praesidere docuerunt, 6) a quibus Tusci omnem eorum cultum et disciplinam acceperunt. Certe in uasis Etruscis frequenter occurrunt, munuscula, coronas, uel arculas donis plenas ferentes, quas piis hominibus, nuptias natalesue

1) Horat. Carm. L. IV. Od. XI. u. 6. Virgilius Aeneid. L. XII. u. 117. Ammianus. L. XXIX. 1. Vide etiam Saubertum de sacrificiis uet. cap. XXIV.
2) Aeneid. L. XII. u. 120.
3) Historiar. L. XXII. c. II.
4) L. XXV. c. VIII.
5) In Policratico.
6) Macrobius Saturnal. L. I. c. XIX. Vossius de Origin. Idololat. L. I. c. 5.

lesue celebrantibus, ad bellum euntibus, uel ab eo feliciter et cum uictoria redeuntibus offerunt. Illud uero in primis memoratu dignum, quod Etrusci Genios tam mares, quam feminas repraesentarunt, qua specie effictos apud alias gentes non uidemus.

Genium, familiae Praesidem, Domesticum Deum ueteres Tusci, atque eorum exemplo Romani exhibuere, capite canina pelle operto, dextra lanceam eiaculantem, quasi uiolatores malignosque homines auertat, atque ad eos perdendos celeri uindicta sit paratus. Insignem *Genii familiaris et Domestici* descriptionem adfert Plutarchus 1). In urna Tabul. XIV. n. 5. allata, ad dextram iuxta sponsum, cum sponsa in manu conuenientem *Genii* caput cernimus, simili canis exuuio et rictu repraesentatum; cui pro armis malleum dederunt ueteres Etrusci. In nuptiis sacra facta sunt *Genio* siue *Lari Domestico* thure et mero, foco etiam corollis redimito, ut docet Plautus 2).

Quia uero Laribus sacrae erant paterae, quibus adponebantur epulae, cum sacra iis fierent, ideo earum manubria in caput canis saepe numero desinunt, quia hoc animal, domus custos fidelissimus, in Deorum *Larium* tutela esse creditur. In antiquis aris *Genius*, *Dominus* 3) *Patronus et Conseruator Familiarum* uocatur 4).

GENII DVO

BONVS et MALVS, singulis hominibus uiuentibus adsignati ex opinione ueterum Etruscorum.

Patera haec Etrusco opere insignis, *Genios* duos, *bonum* et *malum*, singulorum hominum ab ipso ortu *Praesides* repraesentat, uultu, gestu, habitu et armis diuersos. Genius ad laeuam, hastae et clypeo innixus, cum altero ex aduerso sedente contendere uidetur. Alter a dextris, alatus est, ac, praeter clypeum, nulla alia habet arma: ad pedes calceis Etrusco more indutos iacet amphora. Hunc a dextris positum malum esse genium, exinde colligitur, quod amphoram pedibus calcat; nam malos genios ueteres crediderunt, hausta stygis aqua, atque in terris sparsa, omnia mala hominibus afferre 5). Plutarchus de antiquissima opinione duorum Principiorum differens 6) haec subdit: Νομίζουσι γὰρ οἱ μὲν Θεοὺς εἶναι δύο, καθάπερ ἀντιτέχνους. Τὸν μὲν γὰρ ἀγαθῶν, τὸν δὲ φαύλων δημιουργόν. Οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα Θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον, Δαίμονα καλοῦσιν: *Existimant enim alii, duo esse Deos, quasi contrariis deditos artibus: ut bona alter; alter mala opera conficiat: alii eum, qui est melior, Deum; qui deterior, Daemonem dicunt.* Veteres in conuiuiis primum ac nouissimum poculum in honorem GENII BONI, ad declarandam magnam huius Dei uim, et erga humanum genus benignitatem, degustarunt 7). Plura de his doctissimus *Marshamus* 8). Duplicis huius genii potestatem ita exponit Seruius: 9) *Est et aliud uerius; nam cum nascimur, duos genios sortimur: unus est, qui hortatur ad bona: alter, qui deprauat ad mala: quibus adsistentibus, post mortem adserimur in meliorem uitam, aut condemnamur in deteriorem.* Mulierum *genius* fuit *Iuno*.

Sicuti autem a *Genio malo* impios homines in Tartarum ad grauissimas poenas subeundas abripi; ita contra pios a *bono Genio* ad Elysiorum beatitudinem deduci ueteres crediderunt 10). Praeterea *malis Geniis* sacra fecerunt, ne nocerent: *bonos* autem, ut fauentes propitiique manerent, omnibus honoribus prosecuti fuerunt.

Paterae huius manubrium ambit sinuoso flexu serpens, *Geniorum* imaginibus perquam conuenienter; siquidem constat, *Genium* serpentis imagine fuisse cultum 11). Patera undique hederaceo serto coronatur, quae planta, cum capitis nimio mero grauati dolorem minuere dicatur, recte Baccho, eiusque adseclis, nec non *Genio* conuenit, cui mero, thure, ac floribus sacra quotannis natali die celebrabantur. Vid. *Tibullus* 12).

M 2 NEME-

1) In Quaestion. Rom. T. II. p. 276. 277.
2) In Aul. Act. II. Sc. VIII. u. 15.
3) Confer Donianas Inscriptiones. Cl. I. n. 140.
4) Vid. ap. Fabrettum Inscript. antiqu. C. II. p. 75. n. VII. n. 78. 83. item ap. Gruter. p. CVI. 13.
5) Vid. Nic. Leonicum de uaria historia L. III. c. 101. P. Crinitum de honesta disc. L. IX. c. 5. L. XII. c. 13.
6) De Iside et Osiride. uid. etiam Gyrald. Histor. Deor. Syntagm. XV.
7) Suidas Tom. I. p. 9. Leonicus de uar. Histor. L. I. c. 72.
8) In canone chron. Saecul. IX. p. 205. 206.
9) Ad Aeneid. L. VI. u. 717.
10) Plato in Axiocho.
11) uid. Mus. Etr. p. 47.
12) L. II. Eleg. II. u. 5.

NEMESES DVAE

altera BONA, altera MALA, singulis hominibus ab Etruscis adsignatae.

Tab. XV. Vtramque *Nemesin*, *bonam* et *malam* ab Etruscis creditam, atque cuilibet hominum adsignatam fuisse antiqua Etruscorum monumenta testantur. In Tabul. XV. n. 1. 2. duae *Nemeses*, Herois non occisi in bello, sed praematuro fato erepti (nam nulla in eo uulnera adparent) cadauer e terra sublatum ferunt ad sepulcrum. Hae Deae uirginea palla indutae sunt, e collo pendente strophio; alis instructae; nudis pedibus exhibentur, quarum illa a sinistris caput et corpus sustinens, *Nemesis bona* uidetur, quapropter etiam ornatior est, breuiori capillo comtoque, reuincta diademate, maioribus cum alis: altera ad dextram, passis incomtisque capillis, *Nemesin malam* repraesentat, quae adeo nullo cum ornamento, minoribus alis, ac uinciens Herois pedes laqueis est efficta, ad aduersam suam uim designandam, quam luculenter describit *Ammianus Marcellinus* 1). Meminit *Suidas* 2) inferiarum, quae defunctis soluebantur, quas Νεμέσια dixerunt.

Nemesis eadem quoque quae fortuna fuit, ut uetus inscriptio probat apud Gruterum 3). DEAE NEMESI SIVE FORTVNAE. Plures *Nemeses* pluresque *Fortunas* uetustissimi quoque Graecorum coluerunt. Smyrnenses *Nemeses* tamquam Numina tutelaria in magnifico fano coluerunt, *Magnasque Deas* uocarunt, ut refert *Pausanias*; 4) et probant antiquae inscriptiones inter marmora Oxoniensia 5). *Fortunae geminae*, quas Antiates coluerunt, quaeque in antiquo marmore SYNDEAE *Antiates* uocantur 6) duae *Nemeses* habentur a Bonarrotio 7). Verisimile uidetur, unam earum bonorum fuisse auctorem, alteram malorum 8). *Hesychius* ἀγαθὴν τύχην, per *Nemesin*, interpretatur. Cuique etiam amanti ueteres Theologi *duas Nemeses* adsignarunt 9).

In eadem Tabul. XV. n. 2. duae exhibentur Nemeses aliae, adspici dignissimae. Ornantur *Nemeses*, quasi Deae maiorum gentium, diademate, inauribus, torquibus et bullis, alisque in humeris maioribus. Vestes insuper sunt ornatissimae et gemmis distinctae. Nemesis *bona* uidetur ea, quae a dextris est, utpote grandior ornatiorque: altera uero *mala*, quae statura habituque corporis minor adparet. Hymenaeum, nuptiarum Praesidem Deum ita calceatum inuocat Catullus 10).

Socci muliebres grandioris formae, qui gemmis et margaritis et auro ornari solebant, *Nemesi bonae* tributi declarant, eam hominibus fausta ac laeta omnia adferre 11). Ea etiam *Fati* siue *Necessitatis* dirum caput pedibus calcat, quam adeo ueteres MELIOREM 12) et *respicientem* appellarunt.

GRATIAE VENERIS COMITES,

ab Etruscis cultae.

Charites, Deas beneficas, repraesentat patera Etrusci operis antiquissimi, ut sculpturae genus declarat. Dea in medio nuda uidetur esse *Venus*, quae et ipsa una e *Gratiarum* numero fuit habita; circa quam aliae Deae *Gratiae* ludunt saltantque. Manibus tenent instrumentum, quod referre potest guttum, ex quo unguentis et oleo Veneris corpus ungere solent: nisi malis musicum esse instrumentum in choreis ab Etruscis adhibitum. Nam duae Charites demissis elatisque brachiis hilari uultu ac gestu tripudiare uidentur. De Gratiis plura uide in notis ad Monumentum

1) Historiar. L. XIV. cap. XI.
2) Tom. III. p. 606.
3) P. LXXX. 1.
4) In Achaic. L. VII. c. 5.
5) P. XCIV.
6) Vid. Inscription. Donian. T. VII. p. 56, 57.
7) In obseruationib. ad Numis. max. mod. p. 223.
8) Conf. Fuluium Vrsinum in famil. Rust. p. 442.
9) Seruius ad Virgil. Aeneid. L. IV. u. 120.
10) Carm. LX. u. 9.
11) Balduinus de calceo c. XVI.
12) Inscriptiones Donian. Cl. II. n. 140.

mentum libertorum et seruorum Liuiae Augustae 1). Sequitur in eadem Tabula XV. n. 3. aerea lamella, quae cum sit superne perforata, pro bulla uidetur gestata, in qua *Gratiae* quatuor (uariat enim earum numerus) repraesentantur. Gratiae non, ut in Graecorum monumentis cernimus, auersam; sed anteriorem corporis partem nudam ostendunt; seque mutuis brachiorum nexibus amplectuntur, quarum duae extremae paruam bullam e loro pendentem manibus praeferunt forte Veneri donandam, nisi tamen sit cestus, quem manibus tenent eaedem Deae, uti alibi exhibentur 2).

Non alienum prorsus a praesenti loco uidetur, si duo praestantissima *Veneris* simulacra hic exhibeamus. *Venus* una, quae Tab. XV. n. 5. repraesentatur, uirginea palla stolaque est amicta. Capilli sunt elegantissimo artificio comti, ac regali fascia uincti. Obseruari etiam meretur cingulum seu cestus, qui omnes amoris illecebras continet. Dextra manu, quod nullibi cernitur, more sacrificantium pateram tenet, quae alias Diis seruatoribus et salutaribus tribui solet. Sinistra tenet columbam, quam superstitiosa antiquitas, ob maximam generandi uim, Veneri consecrauit 3). Brachia sola nuda sunt, quorum laeuum armilla condecoratur. Forsitan hoc simulacrum *Venerem*, cognomento Νύμφαν seu *sponsam* designat, ideoque more uirginum collectis capillis et uestibus est effícta. Patera monet, coniugium sine praeuiis libationibus et sacrificiis non esse contrahendum. Apud Hermionenses, teste Pausania, 4) ea fuit religio, ut uirgines pariter ac uiduae ante nuptias rem diuinam facerent.

Alterum Veneris simulacrum n. 6. Deam superiore corporis parte nudam, inferiore uelatam exhibet, capillis circa humeros et pectus eleganter sparsis, ac superne in orbem collectis, qualem describit Claudianus 5) Veneris comam a Nymphis partim in hunc modum comtam, partim neglectam. Obseruatione praeterea dignum est, quod Etruscus artifex in honorem Deae, oculos fecit argenteos, insertis ex argento globulis: pupillae interciderunt, quarum loco parua foramina adhuc uisuntur, in quibus pupillas e pretiosissimis lapillis insertas fuisse manifeste apparet.

Venus hoc modo expressa, superne nuda, infra uestita, quae alteram manum leuat, altera, purum et corporum cupiditate uacantem amorem significans, 6) contegit pudenda, VRANIA siue *caelestis* esse creditur, 7) quam uetustissimorum populorum exemplo Etrusci quoque diuinis honoribus coluerunt.

HYMENAEVS

cum IVNOE et VENERE pictus in Vase Etrusco, quod exstat in Bibliotheca Vaticana.

In uase hoc, quod *Iunoni* et *Pronubae* et *Veneri sponsae* pro Donario dicatum uidetur, Hymenaeus πάρεδρος exhibetur alis magnis atque augustioris tomae instructus, sandaliis calceatus. Deae, inter quas sedet, sunt *Iuno*, cui aliquid offerre, uel ab ea accipere uidetur; et *Venus* insidens scopulo, utpote ex mari orta, quae dextra speculum tenet, quod intuetur. *Iunonis* et *Veneris* caput mitra est reuinctum, uelatis inferioribus partibus corporis, supernis nudatis. Quod autem magnis Deabus hisce adsidet, summa eius potentia indicatur, quem adeo, ut faustum atque auspicatum faceret connubium, inuocarunt 8).

Sedens quoque cum Venere pictus est *Hymenaeus* in operculo perinsignis Vasis Etrusci: quam in rem conferre licebit egregium Philippi d' Arnaud commentarium de Diis παρέδροις siue *Adsessoribus* et *coniunctis*.

N GANY-

1) Mus. Etrusc. 10. seqq.
2) u. Tom. I. inscription. ant. Etrur. urb. Tab. XVI. n. II.
3) Goropius Saxon. L. VI. p. 593.
4) In Corinth. L. II. c. 32. et 34.
5) Nupt. Honor. et Mar. u. 99.
6) Pausan. Boeot. L. IX. c. 16.
7) V. Musei Florent. T. XXX.
8) Tibullus carm. LX. et LXI.

GANYMEDIS ET ATYS

uetustissima sigilla ex aere, Etrusci operis.

Tab.XVI. Singularis et eximia est icuncula aenea, quae exhibetur in Tab. XVI. n. 1. atque, nisi me omnia fallunt, *Ganymedem*, Iouis pocillatorem refert, qui ob egregiam formam in caelum aquilae ministerio raptus, Ioui ceterisque Diis Ambrosiam ministrauit, atque in Deorum consortio beatum aeuum transegit. Corona regia eaque radiata, quam Etrusci primi inuenere, est ornatus: indutus ueste succincta, quo pocillatoris munus expeditius obiret; cothurnis decoratus, saltanti similis, quod nimirum saltatione Musica Deos oblectaret. Sinistra tenet urceolum ad liquores miscendos, dextra uero elata poculum in os leonis desinens ostentat.

In Tabul. XV. n. 10. Etrusco opere sculptus est ATYS, Phrygius puer, Cybeles magnae Deum Matris amasius, praestantissima forma praeditus. Insistit leonis pedi; nam leones eidem Deae sacri fuere: Caput Phrygia tiara est amictum. Aliqui *Atyn* faciunt fratrem Tyrrheni, natos ex Hercule et Iole 1).

DII DEAEQVE

felicitatem et bonum euentum rebus donantes ab Etruscis cultae.

Tab.XVI. Pulcherrimum aheneum sigillum, quod exhibetur in Tabul. XVI. num. 2. uidetur Deum repraesentare, quem Romani, Etruscorum forte exemplo, BONVM EVENTVM uocarunt. Velatus togatusque cernitur, pateram et copiae cornu manibus tenens, qui habitus declarat, oblatis DEO muneribus et sacris libationibus demum homines felicem et bonum rerum euentum consequi posse. Etruscum esse hoc signum, ostendunt pedes Tyrrhenis calceis induti.

Fortunam bonam, quam Graeci ἀγαθὴν τύχην uocant, referre uidetur simulacrum in eadem Tabul. n. 3. prolatum. Dea uirginea se inuoluit palla, sinistra torquem tenet, e quo tres bullae dependent. Basi insistit, et ad tribuendam ei maiestatem, Aegyptiorum exemplo 2) capitulum capiti eius imposuerunt.

In Tabul. XV. n. 11. aheneum Deae caput conspicitur aerea casside, loro sub mento religata, auribus apertis, quali tectum uidemus aurigarum caput in ludis Circensibus. Forte refert imaginem Deae EPONAE uel *Campes*, ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, a *flectendo* dictae, quae legitur in antiquo lapide apud Gruterum 3). Vtramque coluere aurigae; quarum illa stabulis et equis; haec equis bene flectendis praeesse credebatur.

DII IGNOTI

ab Etruscis culti.

Tab.XVI. Aheneum signum, quod Tabul. XVI. n. 4. 5. ostendit, Deum aliquem, in cuius tutela serui erant, uel Numen rusticorum proprium uidetur referre. Indutus est hic Deus tunica arctiore, ad pedes usque demissa, qui lunatis calceis sunt ornati. Caput capucio est opertum, ad umbilicum usque demisso; quod a tergo longius descendit, integrum quidem, nec dispertitum. Quo uestis genere seruos usos fuisse, urnae cinerariae ueterum Etruscorum declarant. Eodem etiam rustici induti exhibentur in antiquis monumentis, ad arcendas in opere faciendo aëris tempestatisque iniurias 4). Seruas in tutela fuisse *Iunonis Feroniae*, cuius templum Tarracinae fuit, colligitur ex uerbis Liuii, 5) quae Fabrettus exponit 6). Dea in hoc signo, ancillarum more, palliolo, quod totum caput et corpus operit, est amicta. Deos seruilibus uestibus indutos ueteres

1) u. N. Comitis Mytholog. L. IX. c. V.
2) Musei Florent. Tom. I. Tab. LIII. LIV.
3) P. LXXXVII. 5.
4) Vid. Sponium in Miscell. erud. antiqu. Sect. IX. p. 308. n. X. XI.
5) L. XX. c. I.
6) Inscript. antiqu. c. IV. p. 454.

res *anculos* et *anculas* uocasse uidentur, quasi dicas *ministros*, ab antiqua uoce *anculare*, i. e. secundum Festum, *ministrare*: unde Dii *Genii* seruorum, et *Iunones* ancillarum, *anculi* et *anculae* a priscis Latinis appellantur. Hinc etiam *anclabrem* mensam, ministeriis diuinis aptam; et uasa ahenea, quibus sacerdotes utebantur, *anclabria* dixerunt. Eodem Etruscorum exemplo Vernae Romani, VERNANVM coluerunt, cuius fit mentio in antiquo lapide, qui nunc in Capitolio seruatur 1).

In Tabul. XVI. n. 8. praepinguis puer cernitur, in lecto duobus puluinaribus innixus, qui *Lallum*, uel *Fabulinum*, Deum infantium, cui pueri, cum fari incipiebant, uota et sacra fecerunt, 2) referre uidetur.

In eadem Tabul. n. 9. est elegantissimum Deae cubantis sigillum; pallio caput habet tectum; dextra anguem, uel cingulum tenet: quae imago referre possit *Iunonem Cinxiam*, quod initio coniugii ciugulum nuptae soluebatur.

In eadem Tabul. XVI. n. 10. Nympha nuda, saxi fragmentum utraque manu tenens sublata, *Echo*, Pani Deo amicam uidetur repraesentare. Eius enim beneficio, Bacchi exercitus ab imminenti ab hostibus periculo fuit liberatus 3).

Sigillum, quod in eadem Tabula sequitur, n. 11. *Iunonem*, seu *Venerem* uidetur repraesentare. Duplex Diadema, quorum unum ex unionibus constat; alterum e sacra uitta, uel corona aurea concinnatum, caput eius exornat. Ea inter dona hospitalia, quae Didoni mittit Aeneas, enumeratur maximae natarum Priami monile baccatum, et corona regia duplex, (qualis haec Iunoni seu veneri data conspicitur) aurea simul et gemmea, ita contexta, ut una uideretur, quae coronae λιθοκόλλητοι στέφανοι dicuntur. Inaures sunt rotundae cum gemma uel aureo globulo perforato. Capillorum cultus, stroppus, calcei lunati, tunica tenuissima, omnem continent elegantiam, ostenduntque, quantum fuerit artificum Etruscorum ingenium artificiumque. Altera imaguncula n. 12. haud facile dixerim an *Iunonem* referre possit. Dea cernuo corpore est effecta atque augustiori diademate coronata.

PENATES, LARES PVBLICI AC PRIVATI
e compluribus signis ueterum Etruscorum.

Antiquissima Etruscorum signa, quibus Numina repraesentantur, cum uetustissimis Aegyptiorum signis maxime conueniunt. Capita ornata sunt mitra in speciem coni fastigiata: arctissima tunica cinguntur, sub qua manus latent; uel si exertae sunt, utplurimum lateri adhaerent; pedes simul iuncti uisuntur, neque nudi, sed calceis repandis siue lunatis decorati. Inter antiquissimos autem, et ante Aeneae aduentum, Etruscorum DEOS, sunt DII PENATES, DII LARES et INDIGETES, quos Cicero Deos PATRIOS; 4) nec non urbis ac reipublicae praesides 5) appellat. Iidem adeo sunt DII PATRII et PENATES: unde etiam *Virgilius* eos uocat *patrios Penates* 6) et *Dionysius Halicarnassensis* πατρῴους, γενεθλίους a Graecis uocatos scribit. Huc referri potest Inscriptio apud Gruterum 7).

Nigidius apud Arnobium, 8) secundum Etruscorum disciplinam, quatuor *Penatium* genera affert; et esse ex his alios *Iouis*; alios *Neptuni*; *inferorum* tertios, et *mortalium hominum* quartos, dixit. In Tabul. XVII. n. 1. 2. 3. *Dii Lares* siue *Praestites* exhibentur, cum publici, qui uiis et compitis; tum priuati, qui domibus et rei familiari praesidebant. Bullatae sunt eorum imagines, quia egressi pueritiam *Laribus* bullam et tonsos capillos dedicarunt. Eorum signa unguentis legimus delibuta, thure aut farre, uino et coronis uel floreis uel spiceis exornata. Iisdem primitiae et dona de mensa oblata, epulae in patellis uel fictilibus, quae antiquiores fuere; uel aeneis adpositae fuerunt. Tabul. XVII.

N 2 DII

1) Edidit Blanchinius ad Tom. II. Anastasii. p. CCXXI.
2) Varro apud Nonium de proprietat. Sermon. c. XII.
3) Polyaen. Strateg. L. I. c. II.
4) Orat. pro Sextio c. XX.
5) pro Domo sua c. LVII.
6) Aeneid. L. II. u. 718.
7) P. II. 9.
8) L. III. aduersus Gentes.

DII INDIGETES AVERRVNCI. HEROES
diuinis honoribus ab Etruscis culti.

Indigetes Deos et *Heroas* quidam esse censent, qui ob eximia merita diuinos honores consecuti fuerunt. 1) Hos urbium, familiarum domorumque custodes semper propitios crediderunt; eosque armatos exhibuerunt Etrusci, ut omnia mala *auerterent*, unde etiam eosdem *Auerruncos* appellauerunt.

Tabul. XVII. Eiusmodi *Heroa* refert Tabul. XVII. n. 8. quasi a bello reuersum more militum iter facientium. Post humeros suspensum habet clypeum, e cuius loro ante pectus bulla dependet: sinistra tenet parazonium, dextra clauam seu baculum. Ocreae sunt loris, et quidem duplici ordine reuinctae; galea praealtis utrimque cornibus instructa, quae pelle bubula contecta uidetur, qualis fere galea Vlyssis apud Homerum 2) describitur.

Signum in eadem Tabula n. 9. *Larem* domesticum humana forma maiorem; uel e numero *Lemurum* unum, quem Genii mali administrum habuerunt: uel ipsum *Genium* malum potest referre, quem Bruto ante fatalem diem, humana specie eminentiorem adparuisse, Plutarchus testatur. 3)

Indigetem Auerruncum, ut quidam censent, IOVEM INDIGITEM; uel patrium Deum, Alpium, in quibus inuentum hoc signum, forte Praesidem, quemque postea PENINVM dixere 4) exhibet Tabul. XVII. n. 10. Nomen habet a Celtica uoce *Pen*, quae cuiusque rei summitatem denotat, unde etiam *Alpes Penninae* dictae. Cultum sollennibus sacrificiis fuisse probat ara a Sponio edita, in qua, ut Iupiter, *Deus optimus maximus* appellatur. 5)

In sequentibus Tabulis exhibentur *Heroum* imagines, ex pluribus Museis delectae. *Heroes*, qui nudo sunt corpore effícti, capite uel aperto, uel ad terrorem hostibus incutiendum ferarum pellibus tecti, sunt omnium antiquissimi; insequentium enim temporum Heroes armis instructi conspiciuntur.

Signum, quod est in Tabul. XVII. n. 11. referre potest *Iolaum*, quem cum Hercule Sardi Montani, qui et ipsi Etruscorum coloni, diuino honore coluerunt.

Alterum signum n. 12. possit repraesentare *Tyrrhenum*, Herculis filium, quo duce Tyrrheni siue Etrusci has in Italia regiones occuparunt. 6)

Perinsigne porro est simulacrum Herois, quod sistitur in Tabul. XVIII. galea, thorace et ocreis armati, iaculantis gestu; cum propter magnitudinem, tum propter inscriptionem βεςεοφηδεν in dextro latere insculptam, quae forte nomen eius declarat. Galea altiori tutulo est ornata. Sub thorace pendet subligaculum quadratum. Nudipedes fere hi Heroes sculpti sunt. Inter Etruscorum Heroas maxime celebres fuerunt, Halesus, qui sacra Iunonis ex Graecia in Italiam intulit, quique *Faliscos* et *Alsium* ciuitates condidit: *Fontus* Iani filius: *Aunus*, *Malaeotus*, *Rhaetus*, qui propter uirtutem atque res praeclare gestas, diuinis post mortem honoribus consecrati fuerunt; quorum simulacra in Tabul. XVIII. et XIX. exhibentur.

MVSEI

1) Vide Gyraldum Syntagm. Deor. I.

2) Iliad. L. X. u. 266. Vid. Fabrettum de columna Traiani c. VII. p. 222.

3) Lib. de animi tranquillitate.

4) Decad. I. L. I.

5) In Miscellaneis erudit. antiquitat. Sect. III. n. XXX. p. 85.

6) conf. Theodor. Ryckium Dissertat. de primis Italiae colonis c. VI. p. 422.

MVSEI ETRVSCI
CLASSIS SECVNDA.
FABVLAS
EX ANTIQVIS TVSCORVM MONVMENTIS
EXHIBENS.

De Mythologia ueterum Etruſcorum.

Philoſophiam, illam optimarum artium parentem, quam prudentiſſimae gentes maximo ſemper ſtudio coluerunt, cum Aegyptii; tum Graeci et Etruſci, qui eius praecepta atque inſtituta ab ab illis didicerunt, multis fabularum figmentis inuoluerunt; ne ab imperito uulgo, ut fieri ſolet, contemneretur, uel temerario iudicio perturbaretur. Primis mundi initiis unum eumque uerum Deum huius rerum uniuerſitatis conditorem coluerunt homines: deinde eorum mente corrupta, Solem, Lunam et ſidera, aliasque res, quibus diuini quid ineſſe putarunt, diuinis honoribus proſequi coeperunt; innumerasque fabulas finxerunt: quas inſequenti tempore Aſtronomi, Philoſophi ac Poetae mirum in modum auxerunt. Plurimum quoque ciuiles magiſtratus, parentes ac nutrices in puerorum educatione, itemque ſculptores et pictores ad prauam ſuperſtitionem contulerunt, qui in primis fabulas aeri ac marmori inſculptas ad poſteritatis memoriam transmiſerunt. In illis ſculpturis ueterum Aegyptiorum, Graecorum et Etruſcorum omnis hiſtoria ſacra et ciuilis continetur. Fabulae expreſſae ſunt, quae ſecreta naturae, dogmata et exempla ex Philoſophiae fontibus ſuppeditant, quibus animi ad ferendos utriusque fortunae caſus, inſtruerentur Igitur eruditionem, prudentiam, ſummamque utilitatem ex fabulis hauriri poſſe, ueteres exiſtimarunt. Fabulae autem illae uarii generis fuerunt; aliae enim ad originem Deorum pertinent: aliae ſignorum caeleſtium hiſtorias; aliae naturae arcana; aliae Herorum geſta praeferunt; aliae morales et politicas ueritates, quibus ad uirtutem excitantur et a uitiis reuocantur hominum animi, complectuntur.

Sicuti autem plures gentes communes quasdam fabulas ſecutae ſunt; ita quoque peculiares ſibi quasdam et proprias habuerunt; quales e. g. apud Aegyptios fabulae de *Iſide*, *Oſiride*, *Horo*, *Typhone*, *Harpocrate*, apud Graecos, de *Mineruae* cum *Neptuno* contentione, uter obtinere deberet Atticam; de *Deucalione* et *Pyrrha*, de *Cadmo* aliisque fuerunt. Praeter fabulas, quas cum Graecis communes habuerunt Etruſci, aliae quoque propriae eorumdem fuerunt; quales de *Iani* in Italiam aduentu; de nouem *Diis Conſentibus*, quibus undecim generum fulmina, unicuique ſua ac propria tribuunt, 1) de *Baccho*, qui, cum Tyrrheni in naui captiuum eum facere tentarent, omnes in delphinas conuertit, 2) in antiquis monumentis memorantur. His addi poſſunt celebratiſſimi illi apud Homerum in Tyrrheno potiſſimum mari errores et pericula: fabulae *Sirenum*, *Scyllae*, *Circes*, *Calypſus*, *Cyclopum*, quas princeps ille poetarum ex uetuſtiſſimis Etruſcorum monumentis uidetur deriuaſſe, cuiusmodi nos quaedam in lucem proferemus. Veniſſe autem Homerum in Etruriam, et has fabulas ab Etruſcis didiciſſe, *Strabonis* 3) et *Heraclidis Pontici* 4) teſtimoniis conſtat. Multa ibi de *Auerno*, de *Acheronte*, de animarum immortalitate, de umbris mortuorum apud inferos, de damnatorum ſuppliciis, de piorum beatitudine in Elyſiis cognouit. Cum enim haec, quae Homerus de-

O ſcripſit,

1) Plinius Natur. Hiſtor. L. II. c LII.
2) Ovid. Metam. II. v. 629. ſqq.
3) Geograph. L. V. 224.
4) Libr. de Politiis in Cephaleniis.

scripsit, in pateris et sepulchralibus urnis Etruscorum reperiantur, non sine ratione colligitur, Poetam ex hisce monumentis eas fabulas deriuasse.

Dictorum ueritatem comprobare possunt Etrusca monumenta, quae aeri uel marmori incisa, uel in elegantibus uasculis in Demsterianis uoluminibus exhibentur, quorumque sunt praecipuae fabulae *Volta* monstrum, quod milites interficere conatur: *Tages* puer, qui ex Tarquiniensi agro prorupit; Minerua e capite Iouis oriens: Paridis iudicium: Perseus, adiuuante Minerua, Gorggonem obtruncans: Apollo Marsyam ad arborem reuinciens: Circe poculum Vlyssi offerens: Pugna Centaurorum: Chimaera a Bellerophonte interfecta: Amazonum pugna pro Troianis aduersus Graecos: Deorum pugna cum Gigantibus: Scylla homines occidens, uel cum iis pugnans: Damnatorum supplicia apud inferos: Fabulosa Bacchi aduersus Indos expeditio: Iouis pugna aduersus Typhonem, quem ad Tartara detrusit. Vt alia multa silentio hic praetermittamus.

MINERVAE NATIVITAS

quomodo ab Etruscis expressa, ex insigni patera ostenditur.

Antiquissimi Pictores eorum, quos pingerent, nomina adscribere consueuerunt, 1) quod ab Etruscis opificibus factum, praeter alias antiquas pateras, omnium maxime insignis ostendit, quae Tab.XIX. *Mineruae natiuitatem* exprimit, quamque nos in Tab. XIX. n. 3. exhibemus.

Hanc fabulam Etrusci aliter, quam Graeci, expresserunt, qui praeter Vulcanum Iouis caput securi aperientem etiam Deas obstetrices exhibuerunt, ut hic uidemus. Iupiter hic adparet superiore corporis parte nudus; inferiore tecta pallio; atque in nube radiata, tamquam in throno, sedet. Dextra fulmen tenet, quale frequens est in Tuscorum sculpturis: sinistra sceptrum gerit. Ex eius capite prodit *Minerua* optimarum artium praeses Dea; et quidem galeata, scuto et hasta ornata: prosilit cum furore quasi quodam ad pugnandum parata. 2) Eam quoque nubes utrinque inuoluunt. Induta est tunica et chlamyde, quam fibula in dextro humero subnectit. Non habet in pectore, ut alias, Gorgonis caput, utpote nondum suo auxilio a Perseo obtruncatum.

Ioui Sapientiam in lucem edenti duae Deae magno studio obstetricantur. Vna quae manibus partum est susceptura, uidetur esse *Iuno Lucina*, a puerperis ter inuocari solita, *Leuàna* etiam a Latinis appellata. Esse eam Iunonis sororem et coniugem indicat diadema augustius latiusque, quo eius caput cingitur, quodque supra frontem gemma maiore distinguitur. Habet etiam inaures et armillas, quibus altera Dea caret. Ad pedes est elegantis plantae ramusculus.

Altera Dea, inferioribus corporis partibus uelata, superioribus nudata, minus lato diademate coronata, quae praeter inaures monile habet ex unionibus compositum, quo Iuno caret, sandaliisque calceata, est VENVS, cuius uirtute omnia generari et oriri testatur Lucretius 3) Eadem Dea Iouis pectus complectitur, tenetque, quo facilius partum enitatur. Hanc Deam esse Venerem, indicat columba eidem sacra arbori mali punici insistens.

Adstat quoque in hac patera *Vulcanus*, miraculum huius partus ipso gestu indicans: dextro nimirum brachio supra caput eleuato, manu laeua tenens bipennem, qua Iouis caput apperuit. Quia uero claudus fingitur, altero infirmo pede altiori scopulo insistit, ut ita uitio corporis sui consulat. Punicam arborem ideo addidit artifex, quod illa Diis gratissima, eiusque poma radiatam coronam, supremae potestatis symbolum, praeferunt; insuperque mulieres iuxta arbores parere consueuerunt, ut iis adprehensis facilius eniterentur. 4)

Vete-

1) Plinius L. XXXV. c. III.

2) Ita describit Lucianus in Dialog. Iouis et Vulcani. T. I. p. 196.

3) L. I. de Rerum natura u. 22.

4) Vid. Ezech. Spanhemii Obseruat. in Hymn. Callimachi in Delum u. 210. p. 452.

Veteres, Deos cognomine potius aliquo, quam proprio nomine uocare consueuerunt, ut uirtutes eorum et proprietates facilius declararent. Hinc Etruscis litteris circa Iouis caput scriptum est *Tina* quod *tonans* uidetur significare. *Minerua* nil adscriptum habet, utpote nomen in ipso partu nondum sortita. *Iunoni* adscriptum est, extrita uero tertia littera, *Thana*, qua uoce Θέαινα, *Dea* denotatur 1). Circa crura *Veneris* legitur *Tualna*, quam uocem cl. Bourguet interpretatur *refocillatrix*. Circa cubitum Vulcani scriptum est *Sethlanm*, qua forte adpellatione *ignis Deus* denotatur. *Mineruae* autem et *Vulcano* plurimi Artium inuentionem tribuunt; 2) siquidem ad multas earum, praeter prudentiam et sagacitatem, etiam ignis requiritur. Haec patera foliis eleganter circumcirca ornata forsan in sacris die natali Genio faciendis, fuit adhibita, qui magna laetitia celebrari solebat.

MVSAE

Iouis et Mnemosynes filiae, cum Minerua sculptae in patera Etrusca.

Quamquam inter ueteres quidam Musas Ioue faciunt antiquiores: plurimi tamen ex Ioue et Mnemosyne ortas ipsas esse tradiderunt. Tres tantum Musas, MELETEN, MNEMEN, AOIDEN summa religione esse colendas, Aloei filii constituerunt 3). Quod ab Etruscis quoque factum insignis haec patera declarat, quamquam earum numerum postea auctum fuisse satis constat: idque ea potissimum de caussa, quod nimirum tribus hisce, *exercitatione*, *memoria*, et *Harmonia* ad sapientiae cognitionem perueniri posse arbitrabantur. Musae eodem, quo Minerua, cultu uestium, sunt ornatae: duae ex his nudum; tertia tiara Phrygia exornatum caput habet. Minerua Gorgonis caput non in pectore, sed in clypeo sculptum habet. Tab.XIX.

ACTAEONIS NEX

et ACHELOI pugna cum Hercule, e sepulcralibus Vrnis ueterum Etruscorum exposita.

Ferales fabulas e uetustissimis Historiae monumentis depromtas, frequenter praeferunt Tuscorum sepulcra, quibus ad debitam Diis reuerentiam homines excitare studuerunt. Arcana Deorum consilia non esse curiosius peruestiganda, *Actaeonis* fabula ueteres docere uoluerunt, quam exhibet Tabul. XIX. n. 5. in qua, cum Dianam in fonte Parthenio se lauantem adspicere ausus fuisset, Tab.XIX. a canibus dilaceratus repraesentatur. Frustra canes rabidos repellere conatur uenator, Actaeonis comes; fugit ab eo pater *Aristaeus*, uel potius uates, qui hoc fatum ei praedixerat. Haec urna arborum foliis et quidem uiridi colore picta obseruatur, auroque intecta.

In eadem Tabula n. 6. in urna Etrusca Acheloi fatum repraesentatur, qui e specu suo prorumpit, cum Hercule pro Deianira, quae ad genua eius prouoluta opem implorare uidetur, pugnaturus. Prodit Achelous, cuius dextrum cornu Hercules laeua adprehendit, dextraque nodosae clauae ictibus eum occidere conatur. Hercules cornu illi detractum Naiadibus donasse fertur, quae cum illud bonis omnibus repleuissent, *Copiae Deae* siue *Fortunae* donarunt. Adstat Furia alata, dextra gladium tenens, sinistra laqueo a Ioue summo fatorum arbitro impedita, quo minus

1) In uariis Inscriptionibus, quas illustraui p. 114. 115.

2) Phurnutus de Natura Deorum num. XIX. & XX.

3) Pausanias in Boeot. L. IX. c. XXIX.

Acheloo in pugna opem ferret. Hanc fabulam in primis memorant Pausanias 1) et Philostratus Iunior 2).

Veritas autem hac fabula inuoluta uidetur fuisse, quod Hercules in Oenei gratiam Acheloum fluuium aggeribus et aquaeductibus compescuit, camposque foecundos reddidit; unde Amaltheae cornu fingebatur; pro illa uero opera Deianiram, eius filiam, in matrimonium accepit. Forma autem taurina Acheloo, aeque ac aliis fluminibus tribuitur, quod murmure et flexu alueorum, tauri mugitum et cornua imitentur 3).

ANDROMEDA

ceto exposita, a Perseo liberata.

Fabulae fingunt, *Andromedam* a Cepheo patre scopulo adligatam, et monstro marino fuisse expositam, quam postea in matrimonium sibi promissam *Perseus* liberauit. Fabulae huius origo inde uidetur deriuanda, quod Cepheus filiam formosissimam Principi cuidam re piratica nobili despondere coactus est, si mare ciuibus suis liberum praestitisset. Cumque piratae cetis aliisque marinis monstris solerent iam olim comparari; inde ceto exposita Andromeda fingebatur 4). Perseus chlamydatus cum Gorgonis capite et harpe exhibetur: ab altera parte stat Furia, quae Andromedae opitulatur. Cepheus Andromedae pater prope littus in saxo sedet, ac propter ingentem animi moerorem manum capiti supponit. Elegantissimam fabulae huius descriptionem habet Manilius 5).

FATA CASSANDRAE ET POLYNICIS

in sepulcrali urna Etrusca expressa.

Tab. XX. Fata *Cassandrae* et *Polynicis* exhibet urna omnium rarissima, quam exhibet Tabul. XX. n. 2. 3. 4. Conuenit cum iis, quae in quarto latere arcae Cypseli Pausanias obseruauit, et adcurate descripsit 6). Dextra parte conspicitur *Eteocles* ex Oedipi filiis, qui *Polynicem*, apprehensis capillis, occidere molitur. Laeua sistitur *Cassandra*, quae Mineruae signum arae impositum complectitur: quam Aiax ab ea auellere, ac stricto gladio interficere conatur. A tergo adsistit femina, aeque ac in arca illa Cypseli, ac MORTEM, Parcarum unam repraesentat: expansis stat alis, cum tunica bis succincta, eiusque pedes et brachia nuda sunt. Capilli tantorum scelerum horrore arrecti rigent. Dextra minitari uidetur Aiaci, ipsum Mineruae ultrici poenas sceleris daturum.

In altero urnae latere est *Furiarum* una, FVRINA, quae alata, et ornata tutulo in capite, torque et armillis, facem accensam manibus tenet, quasi eam iaculatura. In altero latere uir alatus, cum capite eodem modo tutulato, expressus est, qui gladium intentat, quasi necem illaturus, FVROREMque referre uidetur.

1) In Eliacis poster. L. VI. c. XIX.
2) In Iconibus p. 843. 844.
3) Strabo Geograph. L. X. p. 458. 459. et eius enarratores. Fabrettum de Columna Traiani c. VI. p. 177. 178. Vossium de Physiol. et Theolog. gent. L. IX. c. XXXV.
4) Vid. Cononis Narrat. XL. Vossium de origin. et progress. Idololatr. L. I. c. XXIII. et c. XXX.
5) L. V. a. u. 538. ad 630.
6) In Eliacis prior. L. V. c. XIX.

APRI CALYDONII

Meleagri, Atalantae & Castorum fabulae notae Etruscis.

Apri Calydonii fabulam, qua ingeniosa uetustas omnia mala hominibus, Deorum consilio et uoluntate, uel ob religionis contemtum, uel ipsorum improbitatem euenire finxit, priscis Etruscis non ignotam fuisse, ex insigni aerea patera, quae in Tab. XXI. n. 2. exhibetur, mani- Tabul. XXI.
feste colligitur.

Oenus Aetolorum rex, cum ob fertilissimam uineam Diis quotannis primitias offerre soleret, neglecta ab eo Diana adeo ira fuit accensa, ut aprum mira magnitudine mitteret, qui agrum Calydonium uastaret. Quam saeuissimam feram cum plures nobilissimi heroes frustra interficere conati fuissent, Meleagro licuit esse tam felici, ut uenabulo eam confoderet. Quo facto, uti ex hac patera perspicitur, Apri caput et pellem, non Atalantae, ut quidam uolunt, sed Dianae θηροφόνῳ, *ferarum interfectrici* donauit. Sistitur enim in ea Meleager cum aprugno capite in laeuo humero sacerdotem consulens, qui sedet capite laureatus, baculum fatidicum tenens dextramque protendens, quasi indicet, caput apri Dianae offerendum, quae adstat luna bicorni in capite insignis, suique numinis praesentia fauet. Altera figura, quae e regione uatis sedet, uidetur referre Atalantam, quae moerorem suum, cubito capite suffulto indicat, pharetramque sagittis uacuam gerit, ut laborem suum in uenatione, et promissum sibi a Meleagro Apri caput ostendat. Meleager uenatoriis cothurnis indutus, capite aperto, nudo corpore, cum chlamyde uenatoria retro pendente conspicitur.

Meleagri comites in uenatione apri Calydonii fuerunt *Castor* et *Pollux*, quos cum eo sculptos exhibet Tab. VII. edita apud Dempsterum, additis nominibus litteris Etruscis inscriptis, *Castor* et Tabul. VII.
Pultuke. Alia eximia patera *Castorem* et *Pollucem* pileatos, breui tunica et chlamyde amictos, cum cygno, et superne adposito astro exhibet, unde non male coniicitur, *Castorem* et *Pollucem* ab Etruscis Iouis et Ledae filios habitos fuisse, quos Iupiter uel in cygnum conuersus; uel, ut alii uolunt, in stellam mutatus, eum Leda genuit. Aris siue sepulcris innixi, 1) de commutanda immortalitatis forte colloqui uidentur; quare alter nudis pedibus; alter loris reuinctis repraesentatur, quasi iam iter ad inferos facturus. Haec patera ad mittendas Diis Manibus inferias uidetur fuisse adhibita.

TABVLA XXI.

Helenae, Menelai, et Castorum Apotheosis.

Patera, quae in Tab. XXI. n. 4. exhibetur, *Helenae* et *Menelai* apotheosin uidetur referre, Tabul.
qui in medio Castorum sculpti blando amplexu se inuicem tenent. Praeter sidera, quae XXI.
utriusque capiti imminent, alteri e Dioscuris nubes circa caput sunt positae, quod alterna uiee apud inferos lateat. *Menelaum* uero *Helenae* ope in Deorum numerum fuisse relatum, Isocrates testatur. Eamdem Menelai apotheosin probat quoque delubrum eiusdem, quod fuit, teste

1) Pausanias in Laconicis L. III. c. 13.

teste Pausania 1) ad Therapnên, ubi cum Helena dicitur sepultus. Helenae, cum Castore et Polluce immortalitatem memorat Euripides 2) Helena seminuda hic exhibetur, mitelli, inauribus, armillis et torque, e quo tres bullae Etrusco more pendent, ornata, singulorum pedes calceis sunt induti.

TABVLA XXII.

Ad Paridis judicium Iuno, Minerua et Venus a Mercurio deductae.

Quamquam ne *Homerus* quidem Poetarum antiquissimus *iudicii Paridis* facit mentionem 3) Tusci tamen mortalium uetustissimi, istud in sacris uasis, quibus maxime ad inferias *Diis Manibus* faciendas usi sunt, expressum repraesentarunt. Paterae a nobis primum hic prolatae hanc fabulam clare luculenterque illustrant. Etrusci operis eas esse ornamenta Tuscanicae artis propria, nec non uestes et calcei probare possunt. Praeterea Mercurius cum claua stat coram Paride sola chlamyde amictus, nudo corpore, aperto capite, absque talaribus et petaso: Venus exhibetur nudo corpore, ueste studio proiecta, ornata corona radiata, inauribus, torque; ad haec calceis in speciem cothurnorum confectis: Iuno et Minerua sunt intecto capite, pallio inuolutae ac Minerua quidem solo diademate, nulla uero cum galea ornata hic conspicitur, quae omnia in Graecorum et Latinorum monumentis aliter reperiuntur. Paris ab Ioue delectus iudex ornatus est torque, e quo quatuor bullae dependent, atque pileo Phrygio tectus. In Tab. XXII n. 1. sub pedibus Paridis et Veneris expressa esse uidetur *Discordia* Dea, quae alata est et pedibus trunca. Sub umbilico in folia quaedam maiora definit corpus nudum; collum uero torque est ornatum. Quod ad ipsam fabulam attinet, qua *Discordia*, eo quod cum aliis Diis ad Thetidis et Pelei nuptias non fuerat inuitata, malum aureum in medium proiecisse fingitur a Poetis litteris inscriptis, ut pulcherrimae daretur, uarias eius explicationes afferunt *Rhodiginus* 4) *Auerranius* 5) et *Fulgentius* 6).

Tabul. XXII.

In patera relata in Tabul. XXI. n. 5. post Venerem conspicitur aedificium quoddam columnis subfultum, quod forte fuit Veneris Μιγονήιδος, *coniugalis.*

Haec fabula significare uidetur, eos demum felices esse habendos, qui sapientiam ac uirtutem, relicta turpi uoluptate, sectantur: contra ea infelices, qui libidinem et lasciuiam complectuntur.

ACHIL

1) in Helenae Encom. p. 319.
2) in Laconic. L. III. c. 19.
3) Macrob. L. IV. Saturnal. c. 16.
4) L. IV. c. XIX.
5) Differtat. XXVII. et XVI.
4) Mythol. L. II. c. I.

ACHILLIS FATA

et post mortem diuini honores delati, e pictura Vasis Etrusci exhibentur.

Insigne uasculum fictile, quod Tabul. XXII. n. 2. praefert, *Achillis fata et diuinos honores* referre uidetur: constat enim, hunc heroa, amore captum *Polyxenae*, ac de eius nuptiis cum Priami legatis collocutum, a Paride per insidias in templo Apollinis Thymbraei interfectum. Tabul. XXII.

Achillis cadauer humi iacet ante aram in templo tetrastylo Apollinis Thymbraei, ex omnibus partibus aperto. *Paris* cernitur armis instructus, qui eum hasta confodit. Iuuenis ille chlamydatus, qui fert humeris ingentem lapidem, forsitan est ejusdem Achillis umbra, juxta quam Satyrus pictus est. Vasculum arae impositum ostendit sacrificia in honorem Apollinis Thymbraei facta ab Achille, ante quam de nuptiis Polyxenae ageret cum Priami legatis. Superne duae Deae sedentes in aere adparent, quarum altera cum uelato capite atque radiata corona uidetur esse Venus, quae dextrae manus gestu necem Achillis Paridi imperat: altera, quae dextra manu crateram cum donis praefert, et *Nemesis bona uel Aeternitas*, quae uiris uirtute praestantibus diuinos honores et immortalitatem largitur.

Infra templum Apollinis Achillem ad Xanthum siue Scamandrum pugnantem et collapsum erigit Neptunus, cuius uelum, diuinitatis insigne aura adtollit et inflat. Caput habet radiata corona et nimbo ornatum. Non tridentem, ut alibi, sed hastam habet Neptunus, in terram defixam. Secundum Homerum *Neptunus* et *Minerua*: hic autem solus *Neptunus* Achilli ad consurgendum opem praestat. Contra Achillem pugnaturus accedit Aeneas, et ictum intentat: hunc excitat Apollo, qui sinistra tibiam praefert, caputque nimbo habet exornatum. Ex hac pugna ereptum Achillem ab Neptuno canit Homerus. 1)

In collo uasculi eiusdem Achillis pugna cum Memnone conspicitur, quam scribit *Quinctus Smyrnaeus* 2) Iuxta equum, cui Achilles insidet, una ex Amazonum numero est expressa, quae cum aliis ad opem Troianis ferendam, aduenerat.

In postica huiusce uasis parte erecta est ara sepulcralis Achillis, uittis pendentibus et ferali fronde redimita; ad quam duo iuuenes accedunt sacra facturi, uasis ad libationes instructi. Ambo ramum arboris, hastae loco, manibus praeferunt; ramis enim, Tusco more, arae Deorum manium contegi et coronari solebant. *Achillem* autem post mortem diuinis honoribus consecratum et in *Semonum* numerum relatum fuisse, non est, quod dubitemus. *Leuce* insula, auctore *Strabone*, 3) ei sacra fuit, ubi etiam incolae eum, tamquam Deum uenerati sunt. Ad littus Sigaeum fuit Achillis monumentum, templum et asylum. 4) In *Elide* fuit cenotaphium, ex oraculo eidem dedicatum. 5) *Alexander Seuerus* in larario secundo, inter alias clarorum uirorum imagines, Achillis quoque simulacrum dicitur habuisse. 6)

1) Lib. P. u. 318. & seq.
2) L. II. u. 480. seq.
3) L. VII.
4) Strabo L. XIII. Mela L. I. c. XVIII.
5) Pausan. in Eliacis post. L. VI. c. XXIII.
6) Lampridius in eius uita.

PVGNA GRAECORVM CVM TROIANIS AD PORTAM SCAEAM

ab egregio Etrusco artifice in urna marmorea sculpta, Volaterris eruta.

Tabul. XXIII. Haec urna sepulcralis Tab. XXIII. n. 2. tanto artificio est facta, ut ob summam eius elegantiam, recentiores pictores siue belli imaginem campumque cadaueribus stratum; siue Heroas uulneratoset semianimes, uel strenue pugnantes exprimere uelint, pro Archetypo ob oculos sibi proponere possint.

Graecorum autem cum Troianis pugnam ad Portam Scaeam in hac urna repraesentari, euincit porta, in quam irrumpere Graeci milites conantur. Inter pinnos apparent capita galcata Troianorum, quae etiam in tabula Iliaca uisuntur. Fatalis fuit haec porta, iuxtaque eam, teste Homero, 1) Achilles Hectorem interemit. Per eam quoque in urbem tractus est fatalis ille equus *Dureus*. Iuxta eam situm est sepulcrum *Laomedontis* regis. 2) Qua re Etrusci hanc portam praeliumque Graecorum et Troianorum circa eam commissum, pro ferali emblemate huius sepulcri exhibuerunt.

In media pugnantium acie *Bellona*, uel *Iuno Martialis* gladium ancipitem dextra ostentat 3), maxime uero Iuno esse potest, quia Troianis aduersa fuit, Graecosque ad Scaeam portam conuocauit, ut canit *Virgilius*. 4)

—— Hic Iuno, Scaeas saeuissima portas
Prima tenet, sociumque furens a nauibus agmen
Ferro accincta uocat.

PATROCLI FVNVS ET PVGNA DE EIVS CADAVERE

feralia Etruscorum sepulcrorum emblemata.

Tabul. XXIII. Antiqua Etruscorum monumenta satis euincunt, Troici belli historiam Tuscis illis non fuisse ignotam. In Etrusca urna marmorea Tab. XXIII. n. 2. Heros ille, qui semianimis iacet, et manum amphorae inuersae opponit, uidetur esse *Patroclus*, ab Hectore caesus, armisque spoliatus; cuius cadauer *Menelaus*, siue *Meriones*, Aiacis iussu, protegit et in castra referre conatur: ipse licet morti proximus, retinet clypeum. *Patroclum* amphorae incumbentem sculpsit Tuscus artifex, quod amphora, in qua defunctorum cineres condi solebant, penes Etruscos quoque mortis symbolum fuit. Iuxta Patroclum adstat saeua necessitas siue fatum, seu mors alata ac uolanti

1) Iliad. L. X. u. 147. 272. 289.
2) Seruius ad Virgilium L. II. Aeneid. u. 612.
3) Vide Oiselium ad Num. Sel. p. 274.
4) Aeneid. L. II. u. 612.

lanti similis, cum ueste succincta, ad celeritatem eius indicandam. Prope mortem siue fatum adstat Bellona cum capite turrito et ueste bis succincta, quae, reiecta in humeros chlamyde classicum canere uidetur. Alter Heros uidetur esse *Acamas* a *Merione* occisus, cuius fatum prope Patrocli fatum sculptum conspicitur in tabula Iliaca, quam *Fabrettus* et *Begerus* erudite illustrarunt. Cum Argolicis clypeis sculpti sunt hi fortissimi heroes, forte quod eorum corpora in iisdem clypeis ad sepulturam fuerunt delata, sepulcroque clypei suspendi solebant.

In Tabula XXIV. n. 1. cernitur noua nupta in geniali thoro locata, ad quam *Mors* accedit, quasi thorum conscensura, quae se totam, praeter faciem et manus, pallio inuoluit. Tabul. XXIV

In Tabula XXIV. n. 2. ex urna exhibetur Heroum Graecorum et Troianorum *Pugna de Patrocli cadauere.* Patroclus mortuus iacet, cuius corpus ideo a Tusco sculptore humana forma amplius effictum est, quod umbras defunctorum humana specie augustiores ueteres crediderunt. *Menelaus* Patrocli corpus, uti Homerus quoque canit, clypeo protegit, ac strenue tuetur. Prope *Menelaum* e Graecorum exercitu adstat *Glaucus*, uel *Idomeneus*, uel *Meriones*, ac sublatis ad caelum manibus moerorem suum indicat. Patrocli pedem laeuum uinculis lorisque constringere conatur e Troianis forte *Hippothous*, uti idem Homerus exponit, qui postea ab Aiace occisus est. Cernitur enim *Aiax* terribili uultu auertere Troianos a Patrocli cadauere, ac districto gladio, caedem atrocissimam minitari. Heros ille, qui *Patroclum* ad Troianorum castra trahere uidetur, est Hector, eiusdem Patrocli interfector, quem Apollo egregie in hac pugna adiuuit; quam *Homerus* luculenter describit. 1)

Mortem et Fatum designat altera urna in Tab. XXIV. n. 3. in qua expressus est Heros ex equo pugnans, quem alter Heros conatur interficere, alius uero adcurrens tuetur. Quod Heros hic, nullo fere Graecorum uel Troianorum exemplo, singulari equo insidens pugnansque repraesentatur, id Tusco artifici uidetur esse tribuendum. Forte refert Menalippum, quem Antilochus, ut canit Homerus, occidisset, nisi Hector adueniens eum eripuisset.

Patroclum Myrmidones omnes luxerunt sollennesque inferias et funebres ludos in eius honorem celebrarunt. Achilles duodecim iuuenes patrio ritu ad eius sepulcrum mactauit, comamque suam, quam Sperchio amni uouerat, totondit; cuius exemplum etiam reliqui omnes Graeci secuti fuerunt. 2)

AMAZONVM CERTAMINA

cum Hercule et Theseo et ad Troiam pro Troianis, e sepulcris ueterum Etruscorum declarantur.

Inter alios labores ab Eurystheo Herculi impositos fuit quoque, ut Hippolytae Amazonum reginae cingulum ad se adferret: quae cum Herculis aduentum audiisset, ipsum adiit, ac zonam se daturam, promisit. *Iuno*, sumta Amazonum unius forma, multitudinem adiit, nuncians, regi-

Q

1) Iliad. L. XVII.

2) Homer. Iliad. L. XVIII. et Aueranius Differt. XXVII.

reginam ab aduectis hospitibus rapi. Tum illae, captis armis, in nauem equo uectae decurrunt. Hercules, ut Amazonum armatas copias prospexit, ratus id non sine dolo fieri, Hippolyten necauit., et zonam abstulit.

Tabul. XXV. Hanc fabulam exhiberi puto in urna elegantissima, Tab. XXV. n. 1. in qua Dea inter pugnantes Amazonas adparet, redimita caput radiata corona, et peplo exornata. Amazones perbreue iaculum contra Herculis hospites iam paene deiectos e curribus intorquent strenuissimeque praeliantur. In medio Amazonum adest *Necessitas* uel *Mors*, uel una e Parcis. In utroque sepulcri latere sculptae sunt Furiae alatae, quae gladium stringunt et necem minitantur. Hoc sepulcrum ideo uidetur esse rarissimum, quod superne duae defunctorum imagines, nempe uir et uxor, conspiciuntur; cum alia unam tantum imaginem habeant.

Amazonum pugnam cum Theseo refert marmorea urna relata in Tabula XXV. n. 2. Tres uero in hoc marmore Amazones sculptae sunt, quae in bello contra Athenienses cum uirtute, tum bellandi scientia principes fuere. Ea, quae equo pellibus strato inequitat, in speciem uiri efficta, forte est *Antiopa*, quae Thesei mariti sui partes defendit, et a ceteris Amazonibus caesa fuit. Hanc Theseus, imposita capiti eius manu, tutatur. Altera, caput diademate reuincta, Amazonum reginam refert, obnixo in terra altero genu, districto gladio, quo cladem hostibus minitatur. Belli Amazonici historiam multis fabulis esse refertam, notat Plutarchus. 1)

In laevo huiusce urnae latere sculptus uidetur *Coroebus*, qui Cassandrae iniuriam non ferens cum eius nuptias pactus esset, ultimum post Amazonas Troianis praesidium aduenit; quem *Diomedes*, uel, ut auctor est Pausanias, 2) Neoptolemus occidit. Amazones capite aperto, sine hasta, sine pelta, sine iaculis uel sagittis, uel etiam bipennibus, solo gladio pugnant, quod est maxime notatu dignum. 3)

HERCVLES CROTONEM

ex imprudentia occidens, Etruscae sponsae, immaturo funere raptae sepulcrum adfertur.

Tabul. XXV. Etrusca urna cineraria, quae exhibetur in Tab. XXV. n. 3. 4. uidetur referre *Herculem*, qui, cum post uarios sublatos impios tyrannos, ex Sicilia redux, *Lacinium*, qui boues nonnullos ei abstulerat, interfecisset, *Crotoniatem* quoque ex imprudentia interemit. Cuius facti poenitentia eum postea funere ac splendido monumento honestauit. 4).

In eadem tabula conspicitur urna elegantissima, quae inscripta est Etruscis litteris, operculum uero Latinis iisque antiquissimis, ex qua feminam praenomine insignitam notare possumus, qui mas forte primum ab Etruscis ortum habuit: legitur enim A. THORMENA. A. F. PIST. i. e. *Aula Thormena*, Auli Filia, Pist. - - - forte Piste. Expressa est imago nuptae, ornata inauribus et

1) In uita Thesei.

2) Vide Begerum in Tab. Iliac. n. 61.

3) Vid. Petitum in Diff. de Amazonibus.

4) Diodor. Sicul. L. IV. p. 161.

et armillis: ſiniſtra ſpeculum tenet Venereum, in quo uultum ſuum conſiderat. Inprimis notari meretur, quod caput flammeo uelatum habet, eo enim uel matronae uel nouae nuptae, boni ominis cauſa, ſollemni nuptiarum die amiciebantur. Graeci quoque, quo die ſponſa in publicum prodibat, peplo ſeu flammeo eam tegere ſolebant. 1)

AVGES ET TELEPHI

fabula, Etruſcorum ſepulcrorum emblema.

Quod ad fabulam Tab. XXVI. n. 1. 2. *Auges* et *Telephi*, quam ueteres Etruſci ad excitandam ſpectatorum miſerationem aptiſſimam crediderunt, in ea ueteres Mythologi, Hyginus, 2) Diodorus Siculus, 3) Apollodorus 4) aliique non concordant. Quae uero memorantur a Pauſania 5) cum Etruſcorum ſculpturis magis conuenire uidentur. *Aleus* filiam habuit *Augen*, cum qua Hercules concubuit, cum forte Tegeam ueniſſet. Id ubi reſciuit Aleus, matrem cum puero exinde nato, in arcam incluſos in mare abiecit. Arca hac ad *Teuthrantem*, qui ad Caicum amnem imperabat, delata, is puellae forma captus, eam ſibi matrimonio iunxit. Tabul. XXVI.

Qui in hac urna in littore ſedens repraeſentatur, eſt *Teuthrantes*, Myſiae Dynaſtes, qui uero arcam defert, eſt Nauplius Neptuni filius, cui Pater Aleus filiam demergendam tradidit. Is uero Nauplius Augen in Naupliam adduxit, ubi ea in ſilua, uel in templo Mineruae puerum dicitur peperiſſe, qui a cerua nutritus, Telephus fuit appellatus. Etruſci autem non a cerua, ſed a femina aliqua lactatum crediderunt, eaque forſan eſt, quae in naui iuxta puppim relicta eſt. Prope eam in eadem naui adeſt Nauplii famulus, qui urnam ab alio famulo uult accipere.

Reliqui extra nauem Etruſco opere ornatiſſimam diſpoſiti ordine conſpiciuntur. In littore regia in ſella ſedet *Teuthrantes*, qui adtonitus Augen cum Telepho puerulo ad ſe uenientem intuetur. *Augen*, dum linqui animo et ſubmittere genu incipit, Nauplii alter ſeruus et Telephus ipſe ſuſtinent, ne collabatur. Multa Telepho infortunia poſtea acciderunt, multa etiam Augae, quae narrat Hyginus 6) qua re Etruſci, eorum fata, feralia ſepulcrorum emblemata eſſe uoluerunt.

 HECV-

1) Pollux L. III. c. 3.
2) Fabul. XCIX. et C.
3) Bibl. Hiſtor. L. IV. p. 166. 167.
4) Biblioth. L. II. c. VI. §. 4. et L. III. c. IX.
5) In Arcadicis L. VIII. c. IV. et c. XLVI.
6) In Tabul. C. et CI.

HECVBAE SEV CASSANDRAE

fatale connubium, pro ferali Emblemate sculptum in sepulcro Etruscorum uetustissimo.

Fatorum imperio Troia incendio absumta, Graeci Heroes non contenti immensa praeda, Troianas quoque feminas lectissimas uxores sibi abducere studuerunt. Andromache obuenit Neoptolemo; Polyxena Pyrrho, quam uero ad placandos Achillis manes, ad eius aram mactarunt. *Cassandra* forte contigit *Agamemnoni*; *Vlyssi* uero mater omnium infelicissima *Hecuba*. Hae igitur ex summo fortunae fastigio in seruilem conditionem delectae, uitam longe luctuosissimam exegerunt.

Tabul. XXVII. In hac urna quam refert Tabul. XXVII. n. 1. *Hecuba* forte aliis repraesentari uideatur, quam Talthybius ui ad Vlyssem adducendam propellit, iaculoque se illam percussurum minatur, ni pareat. Hunc duo socii chlamydati sequuntur, quorum alter securim; alter praelongam hastam tenet. Sequitur alius, qui canem adlatrantem uinculo ligatum ducit, forte miles incendiarius, quod in humeris exstincta taeda indicare uidetur. Prope hunc puella, ueste sublata ad fugam se parare uidetur, ne foedo connubio iungeretur. *Hecubam* ui tractam ad Vlyssem, ita Q. Calaber describit 1) ut eius descriptio cum hac sculptura mirifice conueniat. Cum autem Hecuba iam grauis fuerit aetate, eam feminam potius crediderim esse *Cassandram*, ui a Talthybio ad Agamemnonem regem ductam, qui in regia sella sedens dubitare uidetur, accipiat eam, nec ne. Tuscus artifex ingeniosissime, eam ita expressit, ut regem sinistra manu amplecti uideatur, non amore quidem ducta, sed ut aliquando morte Agamemnonis euersam suam patriam ulcisci posset, ut canit Euripides. 2)

Nec absurdum uidetur, si quis eam pro *Bryseide* habeat, quam rex Agamemnon ab Achille abduci sibique reddi imperauit, quam sibi raptam doluit Achilles, sicuti et ipsa Bryseis ab eiusdem amplexu se diuelli aegerrime tulit, ut rem omnem exponit Homerus. 3)

POLYXENA

ad Achyllis tumulum immolata, ex anaglypho Etrusci sepulcri.

Achyllem amore captum *Polyxenae*, Priami filiae formosissimae, cum in templo Apollinis Thymbraei, quo ad agendum de Nuptiis sororis conuenerant, Paris et Deiphobus fratres ex insidiis interfecissent: eiusdem umbra sub grauissimis minis Graecos admonuit, ut Polyxenam sibi

1) In Princip. L. XIV.
2) In Troad. u. 353.
3) Iliad. L. I.

sibi desponsatam uirginem immolarent, manesque suos eo facto placarent. Quamquam immane hoc factum multis, iisque Principibus Graecorum haud probaretur: tandem tamen, uincentibus Achillis minis, in necem eius consenserunt, atque Neoptolemo interficiendam tradiderunt. Complures scriptores nomen illius uiri, qui Polyxenam mactavit, silentio praetereunt. Alii Troade ad bustum Achillis caedem hanc peractam fuisse scribunt, quos inter Virgilius 1)

O felix una ante alias Priameia uirgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis,
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos
Nec uictoris heri tetigit captiua cubile.

Euripides eam in Chersoneso ad cenotaphium Achillis immolatam; Philostratus uero ultro ad sepulchrum Achillis sponsi sui, in gladium incubuisse adfirmant. 2) Hunc acerbissimum Polyxenae casum ad mentem Homeri pinxit Polygnotus, tabulamque cum Athenis, tum Pergami se uidisse testatur Pausanias. 3)

Fatale Polyxenae sacrificium in hoc Etrusco fragmento, quod exhibet Tab. XXVII. n. 2. modo a Graecis artificibus diuerso repræsentatur. Hic nimirum iuxta Polyxenam *Fatum*, seu *Parca*, seu *Nemesis*, siue e *Furiis* una, alis expansis sedens, conspicitur, quae, ne atrocissimam caedem adspiceret faciem oculosque auertit. Neoptolemus, ornatus torque et bullis, laeua crines puellae retro, more uirginum collectos tenet: 4) dextra uero gladium per iugulum eius adacturum minatur. Polyxenam ad columnam constituta, genuque collapsa curam habuisse uidetur, ut, inferiore corporis parte uelata, honestius caderet: id quod alias quoque honestiores feminas uirosque curasse antiqua monumenta testantur. 5) Nouissimam Polyxenae sanctitatem uerba Talthybii, narrantis eiusdem uocem, memorant apud Euripidem 6) cuius dicta ita interpretatur Ouidius 7) Tabul. XXVII.

Tunc quoque cura fuit partes uelare tegendas
Cum caderet, castique decus seruare pudoris.

Tabul. XXVII. n. 3. Heroum pugnam refert Etruscis characteribus notatam; quae Hectorem forte ab Achille, uel Acamantem a Merione interfectum repraesentare uidetur, ut docet Iliaca Tabula num. 15. et 62. et 63.

POLYMESTOR

effossis oculis, una cum filiis ab Hecuba necatus, ex antiquo Etrusci sepulcri anaglypho ostenditur.

Vere sapienterque auaritiam, prauam illam alienorum adpetitionem uel profani scriptores uitium, quo nullum tetrius, praesertim in Principibus et rempublicam gubernantibus uiris adpellarunt. 8) Id cum alia ex antiquitate exempla; tum illud Polymestoris immane

R

1) Aeneid. L. III. u. 321.
2) In Heroicis. Vide Turnebum Aduersar. L. XI. c. XIX.
3) In Phocicis L. X. c. XXV. et in Atticis L. I. c. XXI.
4) Pausanias in Phocicis. L. X. c. XXV.
5) Plinius L. IV. ep. XI. Iustinus L. XIV. c. VI. Suetonius in uit. Iulii Caesaris c. LXXXII. Lucanus L. VIII. u. 613.
6) In Hecuba Act. III. u. 86.
7) Metamorphos. L. XIII.
8) In Hecuba. v. 1116.

immane facinus, comprobare possunt. Hic enim Thraciae rex, cum Ilionam, Priami et Hecubae filiam in matrimonio haberet; ab Achiuis tamen, qui, capta Troia, omnem Priami stirpem exstirpare uoluerunt, magno auri pondere, atque Electra, Agamemnonis filia in coniugium promissa, corruptus, Polydorum Priami filium, quem se educaturum ac diligenter cum Troia seruaturum promiserat, contra fidem datam atque affinitatis iura obtruncauit, atque in mare abiecit. Quod ut Hecuba cognouit, Polymestorem, dissimulato dolore, ad se arcessit, eumque sceleris conuictum ac luminibus priuatum, una cum filiis interficiendum curauit. 1)

Cernitur Hecuba regio solio insidens, quam ira furentem quidam cohibet. Adstat non longe Agamemnon, regiam praeferens uirgam, cuius opem implorauit Hecuba, ut apud Euripidem legitur. Polymestorem in utrumque genu collapsum milites summa ui tenent, quorum unus crinibus prehensum sursum attollit, quo facilius oculos confodere posset. Duo filii Polymestoris, cum duabus Hecubae ancillis adstant, eiulantesque pro miseris opem implorant.

VLYSSIS apud CIRCEN potus

e pictura Etrusci uasis Bibliothecae Vaticanae.

Homerum a Tyrrhenis plures didicisse fabulas, quibus Vlyssis uitam exornauit, *Strabo* recte adnotauit. 2) Quem heroa uti Homerus exemplum patientiae prudentiaeque inter tot errores atque pericula proposuit: ita Etrusci eumdem, auctore *Tzetze*, 3) Νάνον, uel, ut alii censent, πλάνον, i. e. *uagum*, uel *errantem* cognominarunt; eumque inter *Semonas* coluerunt. In pictura Etrusci uasis coram Circe Vlysses adstans exhibetur. Ipsa Circe in sella sedens, seminuda, calceis, armillis et inauribus ac pulcherrima mitra exornata repraesentatur. Vlysses, more Heroum, toto corpore nudus; ornatus hasta et ocreis, cristatam galeam gerens capite conspicitur, iuxtaque eum cernitur ingens clypeus. Ex humero dextro balteus pendet; sinistra manu fert torquem siue coronam, tamquam aram coronaturus, quae ante ipsum est posita. Circe auream pateram offert Vlyssi ad bibendum ex ea pharmacum. Herba, quae iuxta Circen pariter atque Vlyssem picta notatur, *moly* herbam, a Diis Heroi contra Circes ueneficia datam, uidetur referre. In auersa parte eiusdem uasis femina palliata sedens, pateram sinistra, et uannum dextra tenens apparet, quae Circe esse uidetur. Ante eam super mensa, seu ara pharmaca posita cernuntur. Coram Circe stat iuuenis palliatus, cum capite laureato, qui Vlyssis personam refert: atque non sine ratione creditur, Etruscos Deorum Heroumque res gestas in scenicis ludis repraesentasse.

CIRCE

Vlyssis socium feris obiiciens: Perseus Medusam interimens.

Cum ex ingeniosae antiquitatis figmentis constet, Circen suos hospites, quod item Vlyssis sociis accidit, in belluas conuertisse; eosque saepe lupis leonibusque laniandos deuorandosque obiecisse: 4) mihi perquam uerisimile uidetur imaginem, quam Tab. XXIX. n. 1. refert, *Circen* exhibere, quae uel hospitem; uel e sociis Vlyssis unum leoni et urso uoran-

Tabul. XXIX.

1) Hyginus Fab. CIX.
2) Geographicor. L. V. n. 224.
3) vid. Cuperus in Apotheosi Homeri p. 53.
4) Homer. Odyss. L. X. v. 212.

uorandum tradit; siquidem est uultu, nec ad dolorem; nec ad uociferationem composito, ut Circes pharmacis quasi consopitus uideatur.

In eadem Tabul. n. 2. *Perseus* effictus uidletur, qui, traiecto per iugulum gladio, Medusam interimit. Peculiarem autem hunc typum Perseum obtruncantem Medusam exhibere, multa suadent. Medusa alata est: alae uero non in capite, sed in humeris conspiciuntur. Perseus chlamyde ornatus eam reluctantem, et in utrumque genu collapsam interficit.

ELPENORIS FVNVS

ex Anaglypho Etrusci sepulchri ostenditur.

Elpenor, absente Vlysse apud Inferos, cum ad tumultum sociorum in Circes aedibus factum attonitus adcurrisset, e scalis praeceps ruit, fractaque ceruice mortuus est, cum per scalas retrogradum se descendere oblitus esset. Cum uero eiusdem umbra Vlyssi ab inferis reuerso triste hoc fatum narrasset; utque corpus, quod insepultum iacebat, tumulo reddendum curaret, rogasset: heros precibus eius obsecutus rite exsequias peregit, quaeque ad eius memoriam ad posteros transmittendam pertinebant, summa animi religione perfecit. 1) Celeberrimam hanc apud Græcos fabulam, *Polygnotus* pictam in templo Apollinis Delphici posuit, quam etiam describit *Pausanias.* 2) Hanc ipsam perelegans urna Etrusca expressa in Tabul. XXIX. n. 3. Elpenorem in terram delapsum quidam ex Vlyssis sublatum effert. Is, qui gladium in uagina reconditum sinistra tenent, forsitan est Vlysses ab inferis reuersus, quem ita memorat *Homerus.* 3) Praeeunt tres Vlyssis forte remiges, quorum unus fert scalam; ceteri uero urnas, quarum una cineribus recondendis, altera uero aqua repleta, defuncti cineribus lustrandis inseruiat. Hae urnae illas quoque referre possint, quas lacte, melle et oleo plenas in inferiis mortuorum fundere solebant, quem ritum apud Graecos et Etruscos usitatissimum, Romani quoque receperunt. 4) De Vlysse apud Circen, eiusque cultu apud populos Latii multa erudite afffert *Corradinus.* 5)

VLYSSES SIRENAS PRAETERVEHENS.

Etruscorum sepulcrorum ferale emblema.

Philosophiae moralis maximam partem complectitur fabula Sirenum, quae frequenter occurrit in cinerariis urnis ueterum Etruscorum. Ea enim Tusci Philosophi, eorumque exemplo Homerus, qui ab ipsis hanc et alias fabulas accepit, in mentibus rudium hominum altius infigere uoluerunt, solum sapientem eum esse, qui noxias uoluptates, malorum omnium caussam contemnit et fugit: quique prudentia et animi summa contentione, quemadmodum Vlysses patriam, solam uirtutem adsequi studet.

In hisce uero omnium uetustissimis monumentis obseruandum est, Tuscos tres tantum proposuisse Sirenas longe pulcherrimas feminas, omnique cultu, inauribus, armillis, torquibus et peplo ornatas. Homerus eas fingit im pratis sedentes: Etrusci uero in scopulis

1) Homer. Odyss. L. XII.
2) in Phocicis L. XII. C. XVIII. & XXIV. Vide etiam Hyginum Fab. CXXV. & Ovid. L. III. Eleg. IV.
3) Odyss. L. XI.
4) Wide Norisium in Cenotaph. Pisan. Dissert. III. C. V.
5) Weteris Latii prof. & sacri L. III. C. V.

lis petrisque. Quae in Tabul. XXX. n. 1. 2. exhibentur, Vlyssem in naui praeter uectum demulcere conantur, quarum una in medio sedens canit fistula e septem calamis compacta; altera lyram plectro pulsat: tertia unica tibia concinit, omnesque simul harmonicum melos condunt. In altera figura n. 2. una Sirenum, cum nullum praeferat musicum instrumentum, uoce tantum intercinere uidetur. Homerus Sirenes uocales tantum fingit; grata praetereuntibus cantare solitas. Sirenum nomen sacris quoque scriptoribus notum fuisse probat Bochartus. 1) Proserpinae 2) comites, Musarumque aemulae finguntur Sirenes, Acheloi et Melpomenes, siue, ut alii dicunt, Calliopes filiae 3). Iunonem in manu sua Sirenas gestantem describit *Pausanias.* 4) His responsum ferunt, tamdiu uicturas, quamdiu eas cantantes audiens nemo esset praeteruictus. Vlysses a Circe edoctus fallaces Sirenum cantus, obturatis sociorum auribus, ipseque malo nauis adligatus fefellit, praeteruexitque: quare fabulantur, eas se in mare praecipitasse, atque in saxa fuisse conuersas. Vlysses, cum insidias Sirenum euasisset, aedem sacram Mineruae dedicauit. 5)

SCYLLA et CHARYBDIS,

in Sepulcris ueterum Etruscorum.

Circe Vlyssem, ut post Sirenas, *Cyanea* quoque in mari *saxa*, et infames scopulos in freto Siculo, *Scyllam* et *Charybdim* omni studio vitaret, monuit, ut fingit Homerus; qui etiam utramque, ut monstra horrenda atque praeternauigantibus periculosissima describit. 6) Formam earumdem docent antiquissima monumenta, Etruscis litteris adiectis conspicua, in Tabul. XXX. n. 3. et 4. Virginea forma, nudoque corpore illa monstra sunt expressa, sub pube perizomate, ex caprifico confecto, uelata. *Scyllae* pedes, in altera urna n. 3. mirae sunt longitudinis, quibus duo miseros homines complectitur, pugnatque cum duobus militibus, iaciens torrem uel facem. *Charybdis*, alatos habet humeros, instar nocturnarum auium, quae altius ferri non possunt. Alatum quoque habet caput, eo prorsus modo, quo ab Etruscis *Tempestatem* Deam effictam exhibent antiqua monumenta. Cum hac quoque duo milites nequidquam pugnant, ut eam interficiant. In describenda *Scylla*, Virgilius non Homerum; sed has Etruscorum sculpturas uidetur secutus, utpote ex Mantua, Etruscorum colonia ortus. 7) Monstra autem haec ideo a ueteribus Etruscis in cinerariis urnis expressa uidentur, ut ineluctabilem esse Fati uim; nulloque modo, nullis uiribus ei resisti posse, declararent. Praeterea *Virgilius* memorat, monstra haec de impiis apud inferos ac sceleratis hominibus poenas sumere acerbissimas. 8)

Tabul. XXX.

TELEGONVS

ignarus Vlyssem, patrem suum interficiens: BELVS gladii inuentor, sculpti in sepulcris Etruscorum.

Quemadmodum Vlyssis errores antiquis Tuscis non ignotos fuisse paullo ante uidimus: ita Telegoni quoque cruentam caedem, qua patrem suum Vlyssem ignarus interfecit, 9) eosdem cognitam habuisse, non est, quod dubitemus. Idque indicare uidentur urnae Etruscae in Tabul. XXXI. n. 1. et 2. expressae; quibus procul dubio Etrusci declarare uoluerunt, mortuorum fata esse deflenda; funerisque eorum et parentalium curam a superstitibus esse habendam. Idem Telegonus Tusculi aedem sacram et festa promeruit; nam ferunt, Tusculum ab eo conditum fuisse. 10)

Tabul. XXXI.

In

1) in Hierozoico L. VI. C. VIII. p. 830.
2) Ovidius Metamorph. L. V. Fab. XII.
3) Hyginus Fab. CXLI. Apollodor. L. I. Biblioth. C. IV.
4) in Boeotic. L. IX. Cap. XXXIV.
5) Plinius L. III. C. 5. & Statius Sylv. L. II. 2.
6) Odyss. L. XII. in principio.
7) Aeneid. L. III. v. 434.
8) Aeneid. L. VI. v. 285.
9) Hyginus, Fab. CXXVII.
10) Ovidius Fast. L. III. Silius L. XII. Horat. Carm. L. III. Od. XIX.

In altera urna, quae est in Tabul. XXX. n. 6. obuia, cernitur uir, Hippocentauri specie, chlamyde amictus, nudo capite, qui dextra sicam, siue gladium ostentat. Forsan repraesentat *Belum* Neptuni filium, qui primus ferreum gladium produxit, cum fustibus et sudibus antea pugnassent.

ORESTES et PYLADES

a furiis agitati, deinde ob caedes expiati.

Figura, quam sistit Tabul. XXXI. n. 3. *Orestis* et *Pyladis* expiationem repraesentare uidetur, quorum alter nudus; alter lorica armatus, prisco supplicantium ritu, 1) aram flexo genu tangunt. Cum isti post multas peractas caedes, sacris lustrationibus pristinae puritati integritatique fuissent restituti, tandem apud Scythas commune templum, aram et sacrificia obtinuerunt. 2) Is, qui obtruncatum caput, una cum clypeo, sinistra manu gestat, est ipse *Orestes*, Agamemnonis filius, cum abscisso capite, forsitan Aegysthi adulteri: alter uero est eius amicus *Pylades*, cuius pater Strophius Phocensium princeps eum educauerat. *Orestes*, paternae necis ultor, *Clytemnestram* matrem, quam ad pedes eius iacentem ac frustra clypeo se defendentem uidemus; nec non *Neoptolemum*, itemque *Aleten*, acceptis uulneribus iam in terram collapsum interemit. Persona iuxta Orestem stans, Aegysthum, uel potius Tyndarum patrem interfectae Clytemnestrae; femina autem illa armata, uel *Electram* Orestis sororem; uel, quod malim, *Mineruam* lorica hamata indutam refert; siquidem Mineruam opem tulisse Oresti constat. Has Orestis caedes celeberrimi pictores *Theon* 3) et *Theodorus* pinxerunt. 4) Caesa matre *Orestes* a Furiis exagitatus post uarios errores, tandem Mineruae consilio contulit se Athenas et Troezena, ubi lustratus est; profectusque tandem Argos, Eumenidas placauit. Etrusci duas tantum Furias finxerunt, quae, ut in Tabul. XXXII. n. 1. cernere licet, *Orestem* et *Pyladem* ardentibus taedis insectantur. Ipsi genu flexo arae incumbunt, ad quam lustrati fuerunt. Altera Furiarum caput habet alatum, ac duplici uitta reuinctum: ea facem unicam iactat; altera uero duas. Hoc exemplo ueteres Tusci docuere, scelestos homines die nocteque conscientiae stimulis exagitari. Tabul. XXXII.

HIPPOCENTAVRORVM

et

Hippocentauridarum exitiales pugnae.

Ex uetustissimis hisce Etruscorum monumentis constat, *Centauros* monstroso corpore, humano nimirum umbilico tenus; reliquo uero equino, cauda et quatuor pedibus equinis fuisse ab iisdem effictos, uid. Tabul. XXXII. n. 3. in qua non Centauros solum; sed Tabul. Centauridas quoque, saxis, uel torribus uidemus pugnare, uti etiam docet *Apollodorus.* 5) XXXII. Quamquam haec figura bellum Centaurorum cum Pirithoo ac omni Lapitharum gente uidetur referre posse: cum tamen hic unus tantum Hippocentaurus exhibeatur; uerius haec feralia emblemata, prater *Lapitharum cladem*, *Mortem* ipsam, uel *Fatum malignum*, quibus omnia obnoxia esse arbitrabantur, uidentur designare. Figura relata n. 2. sistit homines multos diuerso cultu, diuersisque armis, aduersus teterrimum Hippocentaurum pugnantes. In eadem Tabul. XXXII. n. 3. *Furiae* pugnae uirorum cum Hippocentauride, quae ingens

S et

1) vid. Saubertus de sacrif. vet. p. 92.
2) Lucianus in Toxeri s. de Amicit. fere in princip.
3) Plutarch. de audiendis Poet.
4) Plinius L. XXXV. c. 11.
5) Bibliothec. L. II. C. IV. §. IV.

et peracutum saxum inculari nititur, adsunt omni cultu ornatae; palmas dextra praeferunt, quasi eas fortibus horum monstrorum uictoribus daturae sint. Forte ex sacrae scripturae libris ad notitiam ueterum Etruscorum peruenit, Angelos, Dei ministros hominumque custodes iuste pugnantibus adesse: iniuste uero pugnantibus ad poenam infligendam esse paratos.

HIPPOCENTAVRIDES

monstris marinis comites additae ab Etruscis in sepulcris defunctorum sculptae.

Tabul. XXXIII. Tusci, uti colligimus e sculptura Vrnae marmoreae in Tabul. XXXIII. n. 3. relatae, *Hippocentauridas* cum *Scylla*, seu potius cum *Tempestate* Dea coniunxerunt: omnes impexis crinibus ac passis sculptae sunt, ut oculis spectantium horrorem incutiant. Peltae iacent sub ipsis: singulis rosa addita, quasi muneribus et corollis placari uelint. Etruscorum exemplo Romani quoque in sepulcris marinos Deos, ac monstra, *Hippocentauros* et *Hippocentauridas* sculpserunt. 1)

CHIMAERA et GRYPS

insignia ueterum Etruscorum monstra, litteris Etrusci inscripta.

Inter fabulosa Etruscae nationis monstra *Chimaera* quoque est referenda, quae ex *leone*, *capra* & *dracone* composita, multa eaque recondita apud Tuscos significasse uidetur. *Bellerophon* Pegaso uectus monstrum hoc dicitur confecisse. 2) *Homerus* 3) et *Hesiodus* 4) omnium primi huius Chimaerae meminerunt, eiusdemque imaginem egregie expresserunt. Capra peculiaris est figurae: praelongas habet aures, cornua satis oblonga, aucta et ualde retorta; sub mento barba: collum laeue, non hispidum dextra et sinistra uulneribus confossum. Ipsa paene iam moritura caput in laeuam partem demittere uidetur. Eius descriptionem dedit quoque *Lucretius.* 5) Quamquam Aegyptii uaria monstra commenti sunt: *Chimaeram* tamen, nec in Mensa Isiaca; nec in aliis eorum monumentis licet reperire. De origine quoque huius monstri uariae feruntur sententiae. *Heraclitus*, 6) censet antiquissimis temporibus fuisse mulierem, regionis cuiusdam, cum fratribus *Leonte* et *Dracone* dominam, quam ob suam crudelitatem, qua peregrinos mactauit, Bellerophon creditur trucidasse. *Pierius Valerianus* 7) et *Natalis Comes* 8) putant, potentissimos hominum affectus, *amorem* et *iram*, hoc monstro designari. Litteras Etruscas adiectas cl. Bourget interpretatur, *ad uindictam paratus*; censetque, *Chimaeram* ab Etruscis fuisse fictam, ut diuinam uindictam ea declararent. Hanc sententiam probabilem reddit *Virgilius*, 9) qui Chimaeram cum aliis monstris, ad inferni portas, tamquam ultionis diuinae indicem, collocauit. Eadem haec inscriptio, iisdemque plane litteris legitur etiam in dextro armo *Gryphis* Etrusci ahenei, quem *Coratius*, Patricius Cortonensis in suo Museo, eximiis antiquitatis monumentis referto, seruat. Sicuti uero sacra et mystica animalia in sacro Codice Iudaeis cum ad ornatum; tum fue-

1) Mus. Flor. T. II. Class. IV. pag. 146.
2) Hygimus Fab. LVII. CLI. Seruius in Virgil. Aeneid. L. VI. u. 288.
3) Iliad. 2. u. 181.
4) Theogon. u. 319.
5) L. V. u. 902.
6) de Incredibil. n. XV.
7) Hieroglyphic. L. I. uersus finem.
8) Mytholog. L. IX. c. 3.
9) Aeneid. L. VI. u. 285. vide etiam Servium ibid.

fuerunt proposita: 1) ueri perquam simile uidetur, hoc animal ab Etruscis quoque, iuxta Deorum templa fuisse positum, ut sceleftos homines a templorum aditu et uiolatione arcerent.

In Etrusca Vrna, in Tabul. XXXIII. n. 2. expressa, Gryphem frustra armati milites perdere nituntur, quae in his urnis *Mortem* et *saeuam Necessitatem* designat. Ad pedes militis fugientis conspicitur urna proiecta, quae forsitan uel *Acherontis* fluminis; uel *Stygis* aquas; uel potius *urnam fatalis sortis* mortalium omnium denotat. 2) Rostrum terrificum huius Gryphis et immaniter hians, lingua exserta, alae aduolandum expansae; crines arrecti, et pedum uelocitas expressa, paullo ante allatam interpretationem, *ad uindictam pronus*; siue *ad uindictam paratus*, hic quoque confirmare uidentur: ut adeo suspicari liceat, hunc quoque pro Donario in templo uel Apollinis; uel potius Deae Nemesis, quae Numina Cortonenses praecipuo honore coluerunt, positum fuisse. Tabul. XXXIII.

DRACO, LEAENA

aliaque monstra Tuscorum, de suppliciis apud inferos, et de Elysiorum beatitudine opiniones illustrantur.

Praeter alia permulta monstra, quae fabulosa Etruscorum antiquitas uel excogitauit, uel uariis additamentis uariauit auxitque: Draconem quoque monstrosum horribilemque reperimus, tribus alis instructum, cum rostro pariter ac barba, maximeque uentricosum, quem exhibet Tabul. XXXIV. n. 1. Hic iuuenem complexus eum enecat, quamquam duo milites armati aduersus eum pugnant, atque eum interficere conantur. Huic addi possunt duae *leaenae*, quae, ut cernimus in eadem Tabula n. 2. cinerariam urnam custodiunt. Immanem ex ore linguam exserunt; uel ut uiolatores sepulcrorum terreant; uel quia Etrusci ab hisce monstris apud Inferos noxios homines torqueri arbitrati sunt. Leonis caput in eadem Tabula n. 6. maleficum *Fatum*; uel *Mortem* potest designare. Ibidem n. 7. Vrna sistitur, quae in lateribus atras habet cupressos, in medio autem caput *Deae Tempestatis*, mitra et cornibus instructum. In Vrna n. 5. expressa, diuortium innui uidetur, cum solus genius, quem *Zelotypiae Praesidem* esse putat *Bonarrotius* 3) capite cucullato adsistat. Nuptiae autem ideo frequenter in sepulcris ueterum Etruscorum sculptae repecriuntur, quod mortem magnam cum nuptiis similitudinem habere Tusci crediderunt. 4) in Tab. XXXV. n. 1. Coniuges in manum conueniunt, stante prope uxorem cum harpe *Discordia*. In eadem Tabula n. 2. ligatis post terga manibus, seruus, uti ex habitu uidetur, ab alio conseruo in orcum sempiternumque carcerem truditur: nisi forte sit Charon, in carcerem iussu Plutonis coniectus, quia Herculem ad Infernum deduxit. 5) Tabul. XXXIV.

Multa memoratu digna de Inferni poenis ac suppliciis, itemque de Elysiorum beatitudine, sedibusque amoenissimis piis ultra Oceanum discretis, in fabulis ueterum reperimus, quas primi omnium Aegyptii, qui ea forsan ab Israelitis acceperunt, docuere; et alis gentibus, inprimisque Etruscis, tradiderunt. Id manifeste apparet cum ex aliis ueterum Tuscorum monumentis; tum ex uase Tuscanicis picturis ornato, quod in Tabul. XXXV. exhibetur. Picti pisces et undae, Mercurium et Herculem, Deos animarum ductores per Oceanum ambulare, aperte declarant. Herculis caput leonina pelle contectum uidetur. Qui gestat in humeris *Herois* animam, tenentem copiae cornu, Elysiis fructibus replendum, pro Tabul. XXXV.

1) Villalpandus de Altari Hebraeorum Caussinus in obseruat. de Symb. Aegypt. Sap. p. 189.
2) vid. Ciampini vet. monum. P. I. C. III. p. 31. & 32.
3) ad monum. addit. Demster. §. XXXIV.
4) ibidem loco citato.
5) Averan. in Anthol. Diss. LXXXII. 7.

pro ipso Herois genio non sine ratione possit Liberi. Ex quo monumento colligitur, ueteres Etruscos, Homeri et antiquissimorum Philosophorum sententiam secutos, credidisse, in aquam, ex qua omnia nata, omnia rursus resolui. Femina illa, quam relinquere uidentur, quaeque sceptrum praferens, scopulo insidet, Tethyn repraesentat. In postica eiusdem Vasis picti sunt tres Comoedi: scenicos siquidem ludos in parentalibus mortuorum fuisse exhibitos, uetusta marmora testantur.

MVSEI ETRVSCI

CLASSIS TERTIA.

SACRA FESTA

Ministros Sacrorum et Donaria Tuscorum exhibens.

De religione ueterum Etruscorum in sacrificiis faciendis seruata.

Quamquam allata hactenus complura Etruscorum Deorum simulaera satis probant, Fabulas apud Homerum et Graecos Mythographos obuias et ubique celebratas, iamdiu Etruscis cognitas fuisse: haud pauca tamen adhuc supersunt de religione quoque eorumdem dicenda, quae summam antiquissimamque Tuscorum superstitionem declarare possunt. 1)

Etrusci, quos alii origine Lydos 2); alii Pelasgos 3); alii denique indigenas fuisse arbitrantur, 4) impellente eos Pastorum in Aegyptum inferiorem incursione ob nimiam multitudinem postea alias sedes quaesiuerunt; tandemque ex Aegypto in Italiam peruenerunt, uti egregiis argumentis probat Bonarrotius. 5) Hic ueterum incolarum mentibus ad humanitatem Deorumque cultum, Iano potissimum auctore, efformatis, qui eam ob causam postmodum ante omnes Deos in sacris appellari, Paterque uocari meruit, singulis quoque Diis sacras cerimonias, templa, aras, sacra ac Festa, nec non sacrorum Ministros constituerunt: quae omnia ex antiquissimis gentis huius monumentis possunt comprobari.

Primo hic memoranda sunt Etruscorum *Sacra Consentia*, quae Etrusco uocabulo ita appellata censet *Pompeius Festus*, quod ex multorum consensu essent statuta. Nomina *Deorum maiorum gentium*, in quorum honorem ista sacra fuerunt celebrata; quosque proprio nomine, ex-

1) Arnobius aduersus gentes L. VII.
2) Demster. de Etrur. Reg. L. I. c. 1.
3) Dionysius Halic. Antiquit. Rom. L. I.
4) Idem, ibidem.
5) Ad monument. addit. Demster. Operi §. XLVII.

exemplo forsan ab Ebraeis uel Aegyptiis ducto, efferre nefas habebant, his uersibus exposuit *Ennius* 1)

Iuno, *Vesta*, *Minerua*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*.
Mercurius, *Iouis*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Singulis menses singulos, in quibus colerentur, adsignarunt: quod quidem ita factum, quia illi nihil aliud fuerunt, quam duodecim Zodiaci signa, quibus anni cursus disponitur. 2)

Ianus, ueluti Parens, ut ait *Festus*, 3) in Sacris primus ante omnes Deos meruit inuocationem; ejusque sacra apud Etruscos principem locum obtinuerunt. Arae duodecim ei fuerunt consecratae, quia annum in duodecim menses, et in dies trecentos sexaginta quinque, secundum statuam a Rege *Numa* eidem dedicatam, distribuit, quam *Plinius* describit. 4) Primitiae frugum totius anni ei oblatae: thure et uino litatum. 5) *Libum* aris impositum a sacerdote in Iani honorem, Etrusca uoce Ianuai fuisse dictum, memorat Festus. Virtutem ac potestatem Iani cum in caelo, tum in terra describit Ouidius 6) Procedente tempore, praeter liba et molam salsam, aries quoque ei fuit immolatus, ut *Festus* testatur: cumque ipse fuerit coronarum inuentor, sub noui anni auspicia, laurea corona eum coronare consueuerunt; 7) id quod etiam factum, cum Consules nouum annum aperuerunt, inque eius templo Consularia ornamenta acceperunt. In sacris hymnis, quos in *Iani* laudem cecinerunt *Salii* sacerdotes, inter alia peculiaris cognomina, *Deus Deorum* et *Pater* fuit appellatus 8)

Quia porro Ianus pacis bellique arbiter cultus est ab Etruscis; ac ualuae eius templi bello apertae; pace uero erant clausae: *Clusius* quoque hinc fuit appellatus. 9) Auctor est *Seruius*, Ianum foederibus quoque praefuisse, perque eum iurare solitos.

Ianus mythice *Mundus*, uel ut alii uolunt, *Annus* siue *Sol* est. 10) Hunc supremum omnium Deorum Ethnici antiquissimi Ἰάω, *Iao* uocarunt; inde forsan Etruscis et Latinis *Ianus* dictus. Eum, uti et *Saturnum*, uiri doctissimi esse ipsum Noam arbitrantur. 11)

V*ertumnalia*, siue *Vortumnalia* aeque antiquissima, ac longo ante Romam conditam tempore, ab Etruscis, eorumque exemplo a Sabinis atque Latinis fuerunt celebrata. *Vertumnum* Deum cum Romani, deuictis Volsiniensibus, euocassent, eiusque signum Romam deduxissent; Sacra, templa, aras, sollemnesque ferias ei constituerunt. Eius simulacrum, quod illud ipsum Volsiniensium esse uidetur, egregie describit *Propertius*. 12) *Varro* hasce ferias Octobri mense celebratas fuisse tradit: 13) *Vertumnalia a Vertumno, cuius feriae Octobri mense.* Spiceas coronas ac floreas, aliosque ruris honores ab agrorum hortorumque auctoribus, sacro ritu fuisse oblatos, ex Propertii descriptione elucet: siquidem memoriae proditum, *Vertumnum* uinearum, agrorum, hortorum, itemque arborum rationem docuisse. *Aurigas* quoque, ut in ludis Circensibus uictoriam obtinerent, nec non *Mercatores* Vertumno sacra fecisse, ex Propertio non obscure colligitur.

T *Pomo-*

1) Apud Marcian. Capell. C. XV.
2) Diodor. Sic. L. III.
3) in uoce *chaos*.
4) Histor. Natur. L. XIV. C. VII.
5) Cato de R. R. C. CXXXIV.
6) Fastor. L. I. u. 125.
7) Athenaeus L. V. C. IV.
8) Tertullian. in Apologet. C. X.
9) Macrobius Saturn. L. I. C. IX.
10) Arnobius adu. gent. L. III.
11) Boehartus Geograph. L. I. C. I.
12) L. IV. Eleg. II.
13) Lat. Ling. L. IV.

P*omona* pomorum arborumque pomiferarum Praeses Dea, eodem fere honore cum coniuge suo Vertumno ab Etruscis, deinde a Romanis fuit culta. In eius sacris pomorum omnium temporum primitiae fuerunt oblatae. Locus ei sacratus in agro Solonio, inter Laurentinum & Lanuuinum agrum, a ueteribus *Pomonal* fuit appellatus. Flamen eius dignitate omnium fuit postremus, *Pomonalis* dictus. Nouas fruges ac uina ne degustabant quidem, antequam primitiae *Pomonae* fuissent oblatae. 1)

N*ortia*, honoris caussa etiam *Magna Dea* dicta, eadem ac *Fortuna* esse censetur a *Marciano Capella*. 2) Antiquissimis iam temporibus, a *Volsiniensibus* maxime et *Volateranis*, templis et aris fuit honorata; quod probat simulacrum in Tab. editum. *Volsiniis* in templo *Nortiae* singulis annis, clauus annalis in parietes figebatur, quibus iunctis Epocha ueterum Etruscorum indicabatur. 3) Hunc morem, per eiusmodi clauos annales numerum annorum colligendi, apud Latinos atque Romanos diu obtinuisse ex *Festi* uerbis colligere licet. 4)

A*ncharia*; quae et ipsa fuit *Furina*, a Faesulanis et Asculanis diuinis honoribus fuit culta. Sacerdotes eius *Ancharii* dicti, furore ab eadem Dea correpti, futura uaticinabantur. Sacra eius, quia Pontifices ea arcana, aeque ac aliorum Deorum Etruscorum, esse uolebant, a uetustis scriptoribus, qui ea ignorabant, silentio transiguntur.

Voltumna templum habuit in Etruria antiquissimum, in quo de rebus grauissimis, post sacrificia et supplicationes de more factas, 5) Tusci consultarunt.

F*urinalia*, dicta sunt sacra in *Furinae* Deae honorem celebrata; in quibus uino, lacte ac melle eidem litarunt. Ilex arbor ei, ex ueterum monumentorum auctoritate, sacra censetur. Quia uero haec Dea scelerum uindex habebatur, uerisimile quoque est, ad eius aram sceleribus obnoxios se expiasse, ac suo sanguine eius aram consperfisse.

Tagetica sacra, quorum ex Cincio meminit *Macrobius* 6) a *Tagete*, qui sacra Acherontica et Haruspicinæ disciplinam Etruriae populos docuit, nomen habent. Romulus in condenda urbe Tageticis Sacris usus est; arcessitis Etruscis Auguribus et sacerdotibus, quo auspicato urbem conderet.

T*erminalia* in honorem Termini, Iouis Terminalis, et Deorum, qui finibus agrorum tuendorum praeerant ab Etruscis celebrata fuerunt. *Iuturnalia* sacra ii, qui artificium aqua exercebant, celebrabant in honorem *Iuturnae* Etruscae Nymphae, quae Italiae populis summa beneficia contulisse ferebatur. *Manturnalia* coniuges celebrabant, ut *Manturna Dea* coniugium stabile ac concors ipsis redderet. *Vacunalia*, agricolae post peractos ruris labores, fructibus perceptis, *Vacunae* post focum sedentes agebant. *Clitumnalia* in honorem *Clitumni*, in cuius templo oraculum et sortes fuerunt, 7) ad *Septimii Seueri* usque tempora fuerunt celebrata. Ferunt, Clitumni aquam potatam candidos boues fecisse, quos inde petebant triumphantes, ut Ioui Capitolino sacrificarent. 8) *Tiberinalia*, *Tiberino Patri* facta procul dubio ab Etruscis originem habent; siquidem non solum ipse Tiberis rex Etrusco-

1) Plinius Histor. Nat. L. XVIII. C. II.
2) de Nuptiis Philolog. C. IX.
3) Liuius Decad. I. L. VII.
4) in u. Clauus annalis.
5) Suetonius in August. C. XXXV.
6) Saturnal. L. V. C. XIX.
7) Plinius L. VIII. epist. VIII.
8) Virgil. Georg. L. II. u. 146.

Etruſcorum, huic flumini, in quo merſus periit, 1) nomen dedit, ſed Etruſci quoque inſignia flumina diuinis honoribus coluerunt.

Aquilicia ſacra Ioui fiebant, cum in ſiccitate aquam elicere a *Ioue Pluuio* opus eſſet. 2) Sacerdotes, qui aquam eliciebant *Aquilices* dicebantur. *Manalis lapis*, de quo *Fulgentius* 3) conſuli poteſt, tunc perlimites trahebatur, cum pluuiae exoptarentur.

CHOREAE IN HONOREM DEORVM.

Saltatio Saliorum & Saliarum Virginum circa aras. Mos Etruſcis arbores conſecrare.

Marmorea columella, anaglypho opere, artificioque inſigni, quam exhibet Tabul. XXXVI. in agro Cluſino fuit reperta, probatque adeo, eſſe monumentum a Tuſco, eoque peritiſſimo artifice confectum.

Perſonae partim ſtant; partim alterno pedum motu, uariaque manuum geſticulatione ſaltant. Choraules penulatus fere in medio ſtans, fiſtula ſex calamis compacta ſaltantibus accinit. Prope eundem Choraulem in medio ſtat Coryphaeus, totius ſacri chori moderator, cuius geſtui manuum in dexteriore parte reſpondet mulier riciniata, quae iuxta eumdem Choraulen ſaltat. Inde cernitur Salius ſaltans, cuius caput, more Saliorum, eſt tutulatum; quo tutulo et Coryphaeus, et alii duo Salii ſunt ornati. Salium duae feminae ſaltantes comitantur, altera feminuda, altera ſuccincta Bacchantium ſpecie corpus circumagens. Adeſt etiam χοϱολέκτης, *chori congregator et ductor*, qui geſticulatur.

Parte laeua feminae cum alio chori duce repraeſentantur. Femina puellae iuxta arborem ſtanti capite uelato, crotala aerea porrigit, quae in ſacris Deorum fuerunt adhibita.

Duae erant apud Etruſcos ſaltationes, in ſacris Deorum caeleſtium celebres; *Saltatio armata* ſiue *Pyrrhicha*, ad numeros tibiarum peracta, qualis in opere Demſteriano refertur Tabul. LXXVII. & LXXVIII. Altera *ſaltatio pacifica*, cuius meminit *Plato* 4) quam Diis inprimis gratam, hoc anaglyphum opus repraeſentat. Omnes cum *Salii*, tum *Saliae* nudis pedibus ſaltant, ritu apud Aegyptios maxime uſitato, quem oſtendit *Menſa Iſiaca*, in qua et ipſos Deos, et ſacrificulos nudipedes effictos uidemus. Sicuti Aegyptii et Perſae inter primos inuentores chorearum in honorem Deorum referuntur: 5) ita Romani quoque in ſacris choris agendis Aegyptias uirgines et Choraulas plurimi fecerunt, pretioque conduxerunt. 6) Sic populus quoque Iſraeliticus, prauis Aegyptiorum moribus imbutus, conflato aureo uitulo, choreas circa eum agitauit. 7) Quia uero Salii et Saliae in hac figura per gyrum choreas agunt, ueriſimile eſt, ſaltationem κυκλικὴν, *orbicularem*, in honorem caeleſtium Deorum, ad eorumdem aras celebraſſe, quo uarium ſiderum motum, greſſum ac regreſſum exprimerent. 8) Quemadmodum autem conſtat, Etruſcos uer nouum ſolemnibus uotis ac ſacrificiis celebraſſe: 9) chorus hic in honorem Iani, qui temporibus anni praeerat, 10) peractus uideri poſſit; idque eo magis, quod huic Deo, quem Etru-

Tabul. LXXVII. LXXVIII.

T 2

1) Feſtus in u. Tiberis.
2) Tertullianus in Apologet. C. XI.
3) Expoſit. ſerm. ant. in u. *Manalis.*
4) L. VII. p. 815. 874.
5) Bulengerus in Eclog. ad Arnobium p. 327.
6) Petronius in Fragm. Sat. p. 669. 670.
7) Exod. Cap. XXII. u. 19.
8) Spanhemius in Callimachi Hym. in Delum u. 242. 266. ſqq.
9) Dempſterus de Etrur. Reg. L. I. C. V.
10) Macrob. Saturn. L. I. C. IX.

Etrusci maximum habuerunt, primum *Salii* adsignati fuerunt. Inter alias uero caussas, cur Etrusci uer Iano sacrum celebrarent, ea haud postrema uidetur, quod uerno tempore eum in Italiam uenisse, a maioribus traditum acceperunt. 1) Vestigia antiquissimi huius Etruscorum festi per omnem fere Etruriam adhuc deprehenduntur; siquidem exortum uer, Calendis Maiis, toteque hoc mense, praesertim apud rusticos, choreis ad Musicos concentus factis cantilenisque celebratur. Alia celeberrimi huius Etruscorum festi caussa uidetur, quod ueteres Ethnici Theologi mundum uerno tempore conditum fuisse crediderunt; quod *Virgilius* rituum Etruscorum peritissimus docet. 2) Suspicari forte etiam liceat, choreas in hac columellae sculptura expressas, in dedicatione arboris illi Deo sacrae fuisse peractas. Vt enim singulis Diis proprias arbores consecrare solebant; ita quoque circa easdem choreas ducere solebant, eas unguentis ungebant, uino sacro conspergebant: Deorum et simulacrorum in morem coronabant; uittis uelabant, omnique superstitione colebant; quas etiam oracula edere aliquando fabulati fuerunt. Litteris quoque arbores religiosas fuisse inscriptas, quo magis ab omnibus colerentur, dissertissimum testem habemus Plinium. 3) Arbores, si essent de caelo tactae, ne parum castae haberentur, ab Haruspicibus sacrificiis expiabantur; dicebanturque *fulguritæ*, atque etiam *fanaticæ*. teste *Festo*, quia forte more fanaticorum mala ominabantur. 4) Morem consecrandi arbores Diis; iuxtaque easdem erigendi aras et aediculas Deorum, Etrusci ab Aegyptiis acceperunt; quod adparet ex antiquissimi uasculi fictilis pictura, in Tabul. XXXVII. quod exstat in bibliotheca Vaticana.

IOVIS FESTVM ET SACRVM

pictum in uase Etrusco Bibliothecæ Vaticanæ. Deorum Epiphaniæ. Ioui plures Genii ab Etruscis adsignati. Dii in Festis omni cultu exornati.

Tabul. XXXVIII. In Tabul. XXXVIII. exhibetur uasculum Etruscum ab eximio Tusco pictore pluribus coloribus ornatum, in quo multa notatu digna continentur, ac pro Donario dedicatum fuisse uidetur. *Festum* et *Sacrum* Etruscorum repraesentat, tum a uiris, tum a feminis factum. Nam ipse Iupiter, habitu sedentis in aere adparens, dextra pallium remouet e capite; sinistra sceptrum aureum tenet. Arae eiusdem Iouis innititur femina, quæ dextra speculum; sinistra flabellum, uel folia concinnata Ioui donanda praefert, unde bos adductus, non mactandus, sed tantum Ioui offerendus a feminis. Has sequitur iuuenis tibicen chlamydatus cum petaso uiatorio post tergum religato, qui adfert corollam. Genius, ut uidetur, eiusdem Iouis, superne adparens, alteram feminam, quae bouem procumbentem adprehendit, dextra manu coronat; sinistra ramum sacrae plantae defert et uittam, forsitan rite sacrificantibus praemia daturus. In eodem uasculi segmento Tabul. XXXVIIII. allato, picti sunt duo iuuenes, quorum alter sedet in scopulo, habetque caput coronatum; sinistra tenet ramusculum: alter iuuenis stans, innixus baculo coronam peculiari modo contextam ostentat. Inde sacra facturae adsunt tres feminæ, quarum una coronam e rosis et uittam adfert suspendendam: altera stans speculum ostentat, uestemque expandit: ea uero, quae in medio sedet, craterem et caulem plantae seu arboris tenet.

In angustiori uasculi fascia picti sunt pisces uarii generis, quibus abundat mare Tyrrhenum. Nec uero est, cur ideo censeamus, Neptuni sacra hic designari, cum in alio

1) Seruius in Virgil. Aeneid. L. VIII. u. 600.
2) Virgilius Georg. L. II. u. 336.
3) Natur. Histor. L. XVI. C. XLIV.
4) Virgilius Ecl. I. 17. et Festus.

alio uase Etrusco, in quo Heroum res praeclarae exhibentur, eodem modo pisces picti conspiciantur. Exinde coniicere licet, pisces Ioui oblatos fuisse: uti etiam Vulcano pro animis humanis eos datos *Festus* testatur. 1)

In inferiori huius uasculi parte picti sunt duo iuuenes: ex his alter ramum et lancem praeferens sedet: alter cursitat, ramusculum et diotam tenens ad libandum forte Ioui. Iuuenibus mulieres quinque eleganter cultae iunguntur, ut sacra peragant. Ex his duae sedent: nam prisco more adoraturi, sacraque facturi, interdum etiam sedentes supplicabant, qui teste Suida, βωμολόχοι dicebantur. Scala, corollae, crateres, lances siue disci, quae manibus tenent, munera uidentur esse Geniis oblata, qui sacra rite facientibus adesse credebantur.

Mos enim apud Etruscos fuit antiquissimus, ad Deos non accedere, nisi tenentes manibus uittas et ramos, quod etiam pacem petituri, Etrusco more, fecerunt, ut Virgilius indicat. 2) Ioui singulis Idibus Tusci publica sacra facere consueuerunt; 3) et quidem antiquissimis temporibus incruenta, 4) in quibus uictimas obtulerunt quidem, at non mactarunt.

Ex hoc igitur Etrusco uase ἐπιφάνειαι seu adparitiones Deorum colliguntur, quibus pictae in eo feminae munera offerunt. Apollinis ἐπιδήμια mentionem facit *Virgilius.* 5) Credebant etiam delubra insolito splendore collustrari, eoque praesentiam Dei testari; ut liquet ex *Claudiano.* 6) Hanc gentilium de Deorum aduentu et praesentia opinionem ex sacris Hebraeorum ritibus ortam censet Spanhemius. 7) Sic celebres sunt Dei adparitiones Iacobo 8) et Mosi 9) factae.

Sicuti aliis Diis ueteres Etrusci unum uel duo genios tribuerunt: ita Ioui tres fuisse adsignatos ex hoc uase adparet. Genii boni ac benefici, non secus ac *Iupiter Elicius*, e caelo euocabantur atque eliciebantur, ut *Suidas* docet. 10) Specula, quae duae feminae præferunt, declarare uidentur, ad exornanda Deorum simulacra, quae omni cultu ornata, in thensis ad delubra, sollemni pompa, cum hymnis & choreis deducta fuerunt, specula fuisse adhibita. Certe Diis quoque, humano more, *ornatores* et *ornatrices* fuisse adsignatas, ut eos in festis comerent ornarentque, probat Augustinus: 11) *Sunt, quae Iunoni ac Mineruae capillos disponunt, longe a templo, non tantum a simulacro stantes, digitos mouent, orantium modo: sunt, quae speculum teneant.* quibus *Tertullianus* 12) quoque et *Apuleius* adstipulantur. 13) Exinde etiam colligere licet, ea quae in pompis Deorum deferebantur, corollas, cistas, lances, specula, taenias, in templis eorumdem Deorum, quorum Festum agebatur, pro donariis relicta fuisse.

Scala, quam una ex mulieribus in hoc uase pictis, tenet uel ad donaria suspendenda; uel ad comandum ornandumque simulacrum Dei, adhibita fuisse uidetur.

In eodem uase solum conspicitur uariis floribus sparsum, qui ex eo quodammodo nati uidentur. Siquidem uiae, per quas in pompis Dii deducebantur, floribus et ramusculis conspergi solebant, ut de Cybele canit Lucretius. 14)

V SACRA

1) In u. *piscatorii ludi.*
2) Aeneid. L. VII. u. 137. L. VIII. u. 128. 664.
3) Macrob. Saturnal. L. I. C. 15.
4) Saubertus de Sacrif. C. XXI.
5) Aeneid. L. IV. u. 143.
6) de raptu Proserp. L. I. u. 7.
7) in hymn. in Apollin. u. 13.
8) Genes. C. XXXII. u. 30.
9) Exod. C. XIX.
10) in u. γοητεία. T. I. p. 490.
11) de ciuitate Dei L. VI. C. 10.
12) de ieiuniis C. XVI.
13) Florid. C. XV.
14) L. II. Vide Geuartium in Stat. Sylu. L. I. p. 54.

SACRA CEREALIA ET LENAEA

ex Anaglypho antiquiffimae ollae fictilis illuftrantur.

Vafculum, fiue olla, quam Tabul. XL. exhibet, Adriae Venetorum, quae olim celeberrima fuit Etrufcorum colonia, Anno cIↃIↃccxxv. fuit effoffa. Vnicam habet anfam, os latum, eftque colore fubrubro, figuris undique e plaftico opere uetuftiffimo ornata.

In altera huius ollae parte funt duo uiri, quorum alter nudus: alter tunica fine manicis indutus, contum agitantes, e quo utrimque in fummo ligati pendent ueluti lances, quae panes effe uidentur. Alii item duo uiri nudi, et ipfi uario modo gefticulantur.

Pileum in capite gerunt in acumen definentem, qui in ufu apud ueteres Adriae populos fuit. Mos fuit ueterum Etrufcorum, panes et placentas in honorem Deorum fufpendere. Hi panes duobus lineis diuifi funt, quae crucem quodammodo referunt; quos *quadras* dixerunt ueteres Latini, quod in quatuor partes erant diuifi. Igitur Etrufcos noftros panes ita confeciffe, et in quatuor partes diuififfe, ac in honorem Deorum fufpendiffe, cum ex his, tum aliis monumentis conftat. Panem in hunc modum factum uel placentam faepe manu tenens Etrufca Ceres confpicitur in antiquis Etrufcorum monumentis.

Quare quidem crediderim, in hac ollae facie, facra in honorem Cereris a quatuor uiris celebrari, Saliorum more tutulatis, quod facrum cum ludicra faltatione, ac panum agitatione et fufpenfione, de qua Suidas, peractum uidemus. In medio eorumdem quatuor uirorum adftat femina cum uefte fuccincta, quae pectori finiftram manum admouet, altera caniftrum geftat; ni forte fit μύλλος, ex fefamo et melle factus. 2) Cum facris Cereris facra Lenaea in honorem Bacchi uindemiarum tempore fieri folita, coniunguntur, expreffa in altera ollae parte: nam uir porcellum Cereri immolandum in humeris ferens, dextra manu tenet uafculum, quod capedunculae figuram habet. Alter uir facrificulus utrem uinarium in finu defert. Sequitur deinde uictimarius, qui caprum, Bacchi uictimam, adprehenfis eius cornibus, ictu fusftis mactare uidetur. Inde uenit, ut uidetur, femina temulenta, quae duas lagenulas uino plenas deferens puellum altera inebriat. Forfitan uero quis priora quoque illa non Cereris facra, fed Bacchi Orgia effe cenfeat, eo quod in illa pertica non panes, fed ofcilla potius fufpenfa uideantur, quem Bacchi lufum per pagos et compita fieri folitum perbelle defcribit *Virgilius*. 3)

GENII SACRVM

hymnis, fuffitu, muficis modis et faltatione a feminis celebratum.

In dicta iam Tab. XL. repraefentatur etiam Vafculum Etrufca pictura praenobile, in quo tres feminae fiftuntur, GENIO forfitan NATALI, uel fi mauis *Amori* facra facientes. Omnes certe gentes, e diuini uoluminis hiftoriis, perfuafum fibi habuerunt, effe fpiritus

1) in u. Εἰρεσιώνη. T. II. p. 29.
2) Athenaeus Deipnofoph. L. XIV. et Voffius de origin. Idolol. L. II. c. 59.
3) Georgic. Lib. II. v. 389.

tus 1) quorum ministerio utatur Deus: esse etiam spiritus, quos *Genios* dixere, quorum in tutela, ut quisque natus est, uiuat. 2) Hanc doctrinam et cultum Geniorum Etrusci ab Aegyptiis acceperunt, qui homini nascenti quatuor *Genios* adsignarunt. 3) In annua diei natalis celebratione GENIVM coronabant floreo serto, perfundebant unguentis, libum ei offerebant, thure et mero sacrum faciebant. 4)

Ara tripes fere in medio saltantium feminarum posita est: ex qua sursum quatuor lilia, quorum etiam in sacris paginis fit mentio, 5) surgunt; superque iis crater, in quo poni solebant adoramenta, quae in honorem Numinum adolebantur. Trigonum pulsat Sambucistria, reliquae duae feminae choreas agunt, GENIO expansis alis ad aram praesente. Ex quibus facile colligitur, apud Etruscos GENIVM NATALEM suffitu, hymnis, musica modulatione et saltatione in annuis sacris cultum fuisse.

Cum *Amorem* quoque inter Deos Praestites coluerint Aegyptii, eumque singulis hominibus ab ortu adsignarint, non male suspicemur, eadem Sacra antiquissimo huic Deo a feminis Etruscis celebrata fuisse, quae Ἐρωτικὰ appellarunt Graeci, de quibus Plutarchus 6) et Pausanias agunt. 7)

SACRA VENERI AMORI ET HYMENAEO

facta a sponsis, ex Etrusco uase illustrantur. Noua Nupta nouusque Maritus carpento ducti ad sacra facienda.

Nuptiis cum nihil sanctius habuissent ueteres Etrusci, ipsos Deos iisdem praesentes interesse crediderunt, si casta mente riteque contraherentur: sin minus, Deos ultores, ac ultrices Furias cum gladio et face adesse sibi persuaserunt. Vnde nuptias sine auspiciis et sacris celebrare non consueuerunt. In hisce uero Cereri porcus immolabatur, 8) quem morem ab Etruscis deriuatum, prisci quoque Latini et Graeci imitati fuerunt. Siquidem, teste *Caluo* poeta, nuptiis Ceres Tuscorum opinione praeesse credebatur. Ad sacra facienda *Cereri*, uel etiam *Veneri* et *Iunoni iugali*, noua nupta nouusque maritus ibant carpento uecti, ut plures ueterum urnae sepulcrales adhuc declarare possunt. Exemplum est in Tab. XLII. ex Etrusco sepulcro marmoreo, Volaterris eruto. Carpentum praeit seruus lampadarius, uiam collustrans; uel quia noctu sponsi ad templum Veneris euntes peruigilia facere debebant; uel etiam quia sine facibus nuptiae minime auspicatae habebantur. Vir equo insidens obuiam sponsis factus dextram manum uiamque cedit: quod decus Romani Virginibus Vestalibus, dignitatis caussa postea sanxerunt. Vir dextrum, coniux sinistrum latus tenet in carpento. Carpentum sequitur ancillula, quae in aliis urnis capistrum seu calatum tenet Veneri sacrum. Adest etiam seruus pedisequus ex ea familiae turba, quam describit Plautus. 9) Eadem haec urna ostendit quoque carpenti Tuscanici structuram et ornatum; uerique omnino simile est, Virgines Vestales, Praefectum urbis, Praefectum praetorio, et Vicarium Vrbis, Tuscorum exemplo, carpentis usos fuisse. 10) Sacra, quae Graeci προτέλεια 11) uocarunt, in honorem Veneris apud Etruscos a nouis coniugibus celebrata exhibet insigne uasculum, in Tab. XLI. repraesentatum; Cernitur VENVS SPONSA sedens in sella, quae Homero dicitur κλισμός, ut aduertit Athenaeus, 12) dignissimis

V 2 quibus-

1) Vossius de Origin. Idol. L. I. c. 6.
2) Censorinus de Die nat. c. 1.
3) Macrobius Saturnal. L. I. C. 19.
4) Plautus in Prol. Aulularіae. et Tibullus L. II. Eleg. II. L. IV. Eleg. 4.
5) Exodi cap. XXV. u. 31.
6) In Erotico, in principio.
7) In Atticis L. I. C. XXX. in Boeoticis L. IX. c. 27. et c. 31.
8) Varro de R. R. L. II. c. 4.
9) in Aulularia Act. III. sc. V.
10) Scheffer. de re uehicul. L. I. c. 18.
11) Meursius in Graecia feriata.
12) L. V. c. 6.

quibusque adponi folita, peculiaris tamen figurae; nam tripes eft, utrimque anconibus, fulcris brachiorum inftructa: cuius pluteus ad humeros et caput reclinandum, figuram crucis habet, eiusque extremis, tamquam anfae quaedam adiunctae funt, quo facilius loco moueri poffet. Pedibus eius fubiectum eft mobile fcabellum, in quo, ut uidetur, depofita eft zona uirginea, quam Etrufcae nouae Nuptae Veneri confecrabant. Coram Venere confpicitur noua Nupta, flammeo uelata, ornataque monili, armillis et pretiofis ueftibus, quae dextram cum dextra Veneris coniungit, quafi fpondeat fe iura connubialia feruaturam. Infidet capiti Veneris columba ei facra, coniugalis amoris infigne, corollam, ut uidetur, ferens myrteam. Adftant duae feminae Nymphae uel Charites, Veneris famulae, quarum altera arculam muliebris mundi eiusdem Veneris aperit: altera Ceftum eius praefert. Cernitur quoque iuuenis pectorali fafcia cum bulla in medio eminente, et uefte picturata amictus, qui duas faces accenfas atque erectas praefert: qui forte eft *Hymenaeus*, *boni coniugator amoris: qui rapit teneram ad uirum uirginem*, *ut canit Catullus.* 1)

Superne inter Venerem et nouam Nuptam uolitant duo *genii*, eiusdem Deae indiuidui comites et famuli. Ex hifce alter taeniam nuptialem, uel eiusdem Veneris cingulum: alter dextra uafculum olei adorati, quafi Deae capiti infundat, et fertum myrteum praefert, quo eam coronet.

In altera eiusdem uafculi parte, facra *Amori* facientes Sponfae, toto corpore nudae, pictae funt, quarum altera fpeculum, altera cingulum folutum tenent: ftant iuxta aram, in qua adparet *Amor*, qui dextra auiculam caudatam, hirundinem forte, oftentat: haec enim auis contubernii hominis amica atque amoris fymbolum perhibetur. 2) Palmae ramos taeniis maioribus ornatos non procul pofitos uidemus, qui forte Etrufcorum mos fuit, cum huiusmodi ramis ad facra Ερωτικὰ accedere. Ara *Amoris* celfiffima eft, qualis Diis caeleftibus poni folebat. 3) Impofitus eft columellae, quae a duabus bafibus fuftinetur, crater fatis latus ac rotundus, in quo facra libamina infundebantur, lectaque adoramenta cremabantur; quod etiam feciffe Romanos, uetus infcriptio, in qua *Ara odoribus repleta* legitur, declarat. 4) Frequentem effe hanc arae figuram in ueterum Etrufcorum monumentis, Dempfterus docet. 5) Iuxta eamdem aram *Amoris* fedent duae feminae, *Veneris* ornatrices, quae templo eius feruiebant: quarum altera fpeculum; altera ftrigilem praferre uidetur. Ad facra accedit alia femina, quae arculam cum donis portat, forfitan una e Pfecadum numero, quarum cura erat, crines coloribus, gemmis, auroque eleganter difponere atque ornare, ut luculenter probat Sphanhemius. 6) E feneftella caput profert femina, quae nefcio an Veneris, au uero fponfae imago uideatur.

SACRA ETRVRIAE

Cifta et myfteria Bacchi a Cabiris feu Coribantibus in Etruriam delata et Etrufcorum initiationes ex antiquis monumentis illuftrantur.

Recondita et arcana fuere *Sacra Etruriae*, et a Scriptoribus ethnicis magno filentio inuoluta, eo quod Sacris hifce initiati iurare cogebantur, nemini ea fe ullo umquam tempore uulgaturos effe. Valde ueri fimile uidetur, ea Sacra fuiffe Bacchi myfteria, ad quae non nifi *iuratos* admiffos fuiffe *Liuius* teftatur; 7) quaeque ab Etrufcis Romani accepere.

1) Carm. LX.
2) ex Aeliano de Animal. L. I. c. 52.
3) Vitruuius de Architect. L. IV. c. 8.
4) Fabret. Infcript. antiqu. c. 11. p. 79.
5) in Tab. XVI. et LXXVIII.
6) in Hymn. Palladis u. 22.
7) Decad. IV. L. VIIII.

pere. Laconum coloni, qui in Italia plurimi, iam ante Troiae excidium fuerunt, omnium primi Italos ea docuere. 1) Ex allato supra in Tab. XXXV. uetustissimo simulacro unius e Diis Cabiris, ac Clementis Alexandrini testimonio clarissime apparet, Etruscos sacra Bacchi mysteria, initiationes et mysticam cistam a *Cabiris* seu *Corybantibus* accepisse, qui non nisi homines *Rheae* et *Baccho* initiati fuerunt, horumque Deorum sacra et cultum in Etruriam inuexere. 2) Cista ipsa euincit, quanto honore Bacchum coluerint Etrusci; nam in aedicula eam repositam cernimus; in aediculis uero praeter simulacra Deorum, nil aliud Etrusci collocare consueuerunt. De cistae eiusmodi sacris, et Bacchicis Orgiis erudite disserit *Lamius.* 3) Cistae huic, non ut in aliis, semiapertae, sed clausae penitus sinuosus serpens aduoluitur, ipsumque Bacchum, eiusque uirtutem et diuinitatem exprimit, cui etiam sacer habetur. Adsimilem aediculam elegantissimam expressam sistit Tabul. XLII. cuius uero postes clausi sunt; neque in ea cista reposita conspicitur: sacrae tamen initiationes eodem ritu peraguntur a feminis, quae adstant, monili, armillis et zona unionibus distincta, admodum ornatae. Sinistra gladium tenent, qui e balteo zonae adnexo, dependet: dextra manu e patera, nescio aquam, an sanguinem super caput uirorum, in sella curuli ante aediculam sedentium effundunt; qui initiati uota concipere uidentur. Sic Numa Pompilius, in lapide sedens, ab Augure Rex inauguratus est. 4) Gladius, quo accinctae sunt Etruscae Antistitae tenentque, dum eos uiros initiant, persuadet; sanguine uel sacrae uictimae, uel potius eorumdem fontium hominum cruore perfusos fuisse. Neque mirandum, id muneris initiandi sacris Bacchi, penes Etruscas feminas Antistitas extitisse, cum, teste Liuio, occultis Bacchi mysteriis, tum uiri, tum feminae initiauerunt. 5) Initiati manus decussatas, uinculisque constrictas, pedes uero cothurnis habent ornatos, qui maxime Baccho tribuuntur; ac praeterea chlamyde, quam bulla in medio adstringit, amicti uisuntur. Ex sella autem curuli, cui insident, calceisque patriciis, quibus sunt calceati, non sine ratione colligitur, uiros hosce initiatos primarios Etruscorum fuisse. Miseri siquidem illi, eiusmodi initiationibus, se non in hac solum uita; sed post mortem quoque felices beatosque futuros arbitrabantur. Denique lapides, quibus pedes imponunt, pellibus tecti apparent: siquidem, auctore *Suida*, 6) caesarum uictimarum pelles substratae fuerunt pedibus eorum, qui piaculo polluti lustrabantur.

SACRA MITHRIACA

fuso sanguine suscepta, sacra Acherontica.

Sollemnis Etruscorum baptismus, quo ritu quibusue ceremoniis traditus ac susceptus ex antiquissimis monumentis ostenditur.

Sollemnem apud Etruscos *Baptismatis* traditionem per manus sacerdotis diabolus, infensissimus humani generis hostis, excogitauit: qui, ut insanas gentes in sui seruitium redigeret, complura lustrandi genera, aere, aqua, igne, sanguine monstrauit, ut tamquam simia sapientissimum Deum aemularetur, quod *Tertullianus* monet: 7) *Diabolus ipsas quoque res Sacramentorum, in idolorum mysteriis aemulatur. Tingit et ipse quosdam, utique*

X

1) Dionys. Halicarn. L. II. et Plutarchus in Numa.
2) Aegyptius in explicat. S. C. de Bacchanal. p. 137. 138.
3) Differtat. VI. inter ceteras Academicorum Etruscorum Corton.
4) Liuius L. I.
5) Decad. IV. L. IX.
6) in u. Διόσκώδιον. Tom. I. p. 604.
7) De Praescript. adu. Haeret. C. XL.

que credentes et fideles suos, expiationem de lauacro repromittit, et sic adhuc initiat Mithrae; signat ille in frontibus milites suos: celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam. Etrusci compluribus ante Numam Pompilium saeculis baptisma in usu habuerunt. Constat quoque, initiatos complura probationum genera experiri debuisse, antequam ad Sacra Deorum ac praesertim Mithrae admitterentur.

Baptismi origo apud antiquiores gentes, ex magno illo diluuio, quo Deus orbem hunc sceleribus corruptum perdidit, profluxisse quibusdam uidetur, quod S. *Petrus* Christiani orbis baptismum diluuio ἀντίτυπον dixit. 1) Praecipuum hoc antiquissimae religionis caput apud Etruscos paucis in praesenti prosequemur. Inter figuras, quae in sepulcro marmoreo in Tab. XLIV. relato sistuntur, iuuenis conspicitur, qui initiatur, nudo capite, prae-longa ueste sine manicis indutus, cinguloque praecinctus; quem susceptor eius militari habitu amictus tenet eleuatque, ut arae encarpiis coronatae incubare faciat, et ut aqua superfusa e capite eius in ipsam aram defluat. Ad sinistram sacerdos, dextra manu pateram super caput eiusdem iuuenis inuorgit, sollennique ritu eum baptizat. Hinc inde circumstant Mystae, inter quos unus praelongo conto ad aram admoto omni conatu uel aram fulcit, ne collabatur; uel ipsum sacerdotem, qui fugam moliri uidetur, impedit retinetque. In aliis monumentis baptismum referentibus, ut in figura eadem Tab. XLIV. relata, arae quadratae exhibentur, quarum etiam in medio ardet ignis, qui in terram decidit, quod ueteres mali ominis habuerunt. Susceptorem tres *M*ystae circumstant, quorum unus in terra prostratus, pedes initiati retinere uidetur. Inter Mystas duae feminae adstant, officium suum implentes, uel agnum deferunt, uel cymbalum pulsant. In medio Vates adstat, tabulam utraque manu sublatam tenens, e qua axamenta, siue carmina, ut opinor, in laudem eius uiri, qui *baptisma* suscipiebat, canit; de quibus *Festus* in u. *Axamenta.* Adsunt quoque sacro huic ritui *Fidicen*, qui citharam plectro pulsat, et *Tibicen*, qui canit paribus tibiis, quibus in canendis clarorum uirorum laudibus Etrusci uti solebant: quorum exemplo apud Romanos quoque sacris ac maxime publicis fidicines et Tibicines adhibiti fuerunt. 2) Cum *Perusiae* fere tantum, nec in aliis Etruriae urbibus eiusmodi monumenta conspiciantur, ibi fere magnus Sacerdos et Rex huius sacri sedem habuisse uidetur. In altera illa urna iuuenis initiandus manus expandit orantis ritu; ex cuius sinistro brachio corolla e laurii foliis conserta dependet: nam lauri rami in sacris expiationibus adhibiti fuerunt. 3) Accedit ad sacrum femina, ouem in ulnis ferens, tamquam expiationis λύτρον, quod offerre tenebantur. Aqua autem marina potissimum ad eiusmodi lustrationes adhibita fuisse uidetur, quod illa salis particeps, magnam ad purgandum uim habere credebatur. 4) *Baptismum* ad sacra Mithrae mysteria pertinuisse, Tertullianus probat: 5) *Nationes*, inquit, *sacris quibusdam per Lauacrum initiantur, Isidis alicuius aut Mithrae. Ipsos etiam Deos suos lauationibus efficiunt: Caeterum uillas, domos, templa, totasque urbes adspergine circumlatae quae expiant passim. Certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguntur: idque se, in regenerationem et impunitatem periuriorum suorum, agere praesumunt.*

Haec Sacra in honorem Mithrae instituta, quem Etrusci eumdem cum Sole crediderunt, a Persis, Chaldaeis, uel etiam Aegytiis originem habuerunt. Nam in Isidis quoque sacris *Baptisma* celebratum fuisse, prater Tertullianum supra laudatum, Apuleius quoque declarat. 6) *Sacerdos stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas, et prius sueto lauacro traditum, praefatus Deum ueniam, purissime circumrorans abluit.*

Mithrae initiati ac Mystae, tamquam nouo militiae sacramento auctorati, milites DEI INVICTI dicebantur; quare in his Etruscorum sculpturis, cum initiandus, tum susceptor cum Mystis, militaribus ornamentis insignes conspiciuntur.

SACRA

1) Epistol. I. C. III. u. 21. Coll. Genes. C. VII. u. 11.
2) Rosinus Antiqu. Rom. L. III. c. 31.
3) Theocritus Idyll. XXIV.
4) Proclus et Homerus L. I. Iliad. u. 313.
5) De Baptismate C. V.

SACRA MITHRIACA

apud Etruscos etiam igne peracta, ad purgationem et expiationem animae, et quo ritu, ex Etrusco uase declarantur.

In igne non minorem, quam in aqua purgandi uim inesse ueteres Etrusci crediderunt. E quibus elementis cum omnia constare arbitrarentur; nec ignorarent, aquis diluuii mundum purgatum, et in fine saeculorum igne renouandum: 1) homines ideo criminibus obnoxios ad puritatem uitae per aquam et ignem perducere studuerunt. Per quinquaginta dies ieiunare, uersari in solitudine, biduum flagris caedi, in niues uiginti dies immitti, et alia huiusmodi per gradus perpeti uoluerunt. 2) Immo, teste *Gregorio Nanzianzeno*, in Sacris Mithriacis cruciatus, stigmata notasque, aut etiam mysticas ustiones initiati sustinuerunt. 3) Quomodo uero istae ustiones factae fuerint, ostendit uasculum, quod exhibetur in Tab. XLIV. ubi cernitur DEI MITHRAE simulacrum impositum basi et fastigio ualde eminenti, reconditumque in aedicula, duabus columnis suffulta. Nec serupulum moueat barba huic imagini addita, quam uetustissimo exemplo ei Persae et Chaldaei tribuerunt: 4) sicuti Aegyptii quoque *Bacchum* illum antiquissimum, cum talari ueste, 5) et *Mercurium*, barbatos effinxere. Eodemque modo *Ianum* etiam Etrusci expresserunt: qui Dii, uti et Mithras, idem ac sol habiti sunt. 6) Maxime uero peculiaris est cultus uestium; nam iisdem fere, quae etiamnum apud nos in usu sunt, Sacerdotum uestibus, palla ad imos pedes demissa, et pallio, ueluti superhumerali, amictus cernitur. His uestibus *Deus Mithras* exornatur, uel quia princeps Sacerdos ea Sacra instituisse creditus est uel quia Dii ita in Sacris adparere censebantur. 7) Ibidem duo uiri ante imaginem *Mithrae* ad focum accensum simul expiantur. Qui ad dextram est, toto corpore nudus, uelatis tantum pudendis, iacet in carruca, ligatis manibus ac pedibus, quos ad ignem admotos habet, itaque expiatur. Tabul. XLIV.

Alter indutus tunica oblonga, pariterque succincta et manuleata, laeuo tantum genu humi flexo, dextro incuruato innixus, Mithram suspiciens, iunctas manus ad extremum flammae apicem adurit. Id autem faciebant miseri desiderio beatitudinis post mortem consequendae, utpote qui ita initiati statim ad Elysias beatorum sedes admitti crediderunt. Qui ea de caussa Herculem in Oeta monte combustum ad Deos migrasse, Deorumque in numerum receptum tradiderunt. 8) Nocentes uero homines, qui sine lustrationibus ex uita discesserunt, apud inferos pati supplicia et poenas adsimiles lustrationibus cum aere, aqua et igne institutis credebant, quas descripsit Virgilius. 9) Fiebant autem eiusmodi lustrationes non solum igne, sed etiam fumo et sulphure et taedarum ardentium mutua per manus traditione, quarum frequenter mentionem facit Lucianus. Interdum etiam peractae memorantur titione ardente ex ara sumto, cum uictima adolebatur, eoque in uase lustralis aquae merso, qua, ut docent Euripes 10) et Athenaeus 11) eos, qui adessent, conspersos purificabant. Quod uero positus ille uir cernitur, ea est caussa, quod sacris mysteriis initiandos, sedentes in curru deduxerunt, ac sollenni comitatu honorarunt. Memorant nobiles scriptores, inprimisque Virgilius, 12) Strabo 13) Plinius 14) et ex

1) uid. Scriptorum ueterum loca apud Lomeierum de lustrationibus uet. gentilium C. XIX.
2) Phil. a Torre de Mithra. C. V.
3) Orat. III. in Iulian. uid. cl. Montfaucon. in Diar. Ital. C. XIV.
4) a Torre de Mithra C. III.
5) Diodorus Sicul. L. III. et IV.
6) Ex Macrobio Saturn. L. I. c. 18. et 19.
7) Tibullus L. III. Eleg. IV. u. 35. Propertius L. II. Eleg. XXI. u. 16. Virgilius Aeneid. L. I. u. 404.
8) Lucianus in Hermotimo T. II. p. 182.
9) Aeneid. L. VI. u. 739. et Seruius ibidem.
10) in Hercule fur. u. 928.
11) Deipnos. L. IX. c. 18.
12) Aeneid. L. XI. u. 785.
13) Geographic. L. V. p. 226.
14) Histor. Natur. L. VII. c. 1.

eo Solinus, 1) fuisse in Faliscorum agro aliquot familias, quas Hirpias dicebant, quae ad Soractem montem, annuum sacrificium facientes Apollini, per ignem ambulare consueuerunt, quae tamen non adurebantur. Salitio quoque per flammas, piaculi caussa fiebat ad placanda Numina, quod a Romulo ante conditam urbem factum nouimus. 2) Parentes quoque filios suos ac filias per ignem transducere consueuerunt, ut eos purgarent, et idolis suis consecrarent. 3)

SACRA MITHRIACA

cum effusione sanguinis suscepta apud Etruscos: an id etiam factum in honorem VENERIS, HECATAE, MATRIS DEVM, et FVRIARVM. De uictima humana; iuuenum puerorumque immolatione.

Mithriaci illi initiati, quos *milites* uocat Tertullianus, 4) diaboli fraudibus seducti, non alieno sed proprio sanguine in honorem Mithrae se expiarunt. Ex quo apparet, infensissimum illum nostri Seruatoris hostem, multis ante christianae religionis initia saeculis, turpissima calliditate sacra illa mysteria corrumpere studuisse. Quia enim praesenserat humani generis per Christi sanguinem, redemtionem a) ipse quoque se suis cultoribus, *Mithrae* nomine, sanguinisque profusione colendum adorandumque proposuit. Ac sicuti IEsus Christus, Dominus ac Deus noster, *Sol*, *Ignis*, *Leo*, *Victor* in sacris litteris appellatur: ita etiam uaferrimus hostis, *Sol*, *ignis*, *Leo*, atque etiam *inuictus* appellari uoluit; 5) et ubique gentium *Mithriaca* sacra inuexit. Sic sacrosanctum Baptismi mysterium praeuertere cupiens, expiationem delictorum et interioris hominis renouationem, ut Tertullianus loquitur, 6) de lauacro repromisit. Insuper sacrae Eucharistiae imaginem ingessit, proposito in iisdem sacris pane et poculo aquae, iudice *Iustino* Martyre. 7) Denique etiam publicam exegit scelerum confessionem, igneque suo initiatos probari praecepit: quibus obseruatis, pater ille mendaciorum suis cultoribus summam post hanc uitam felicitatem promisit, quam neutiquam dare potuit. Inter alios suppliciorum gradus summum fuit *cruentum martyrium*, quod subire cogebantur, qui *Mithriaca* Sacra perficere uoluissent. Hinc
Tabul. XLV. in Tab. XLV. n. 2. conspicitur iuuenis, qui laeua palmam, quasi uictoriae praemium; dextra uero districtum gladium tenet, quo se percusisse indicat, et suo sanguine aram *Dei Mithrae* consperssisse, cui flexo dextro genu innititur. Praeter palmam uero pileum quoque, siue mitram et tiaram Persicam eiusmodi initiatis datam fuisse, praeter Etrusca monumenta, etiam Tertullianus innuere uidetur. 8) Mirum uideatur, cur diabolus feminas ad nafarium hoc martyrii genus non instigerit, siquidem nullibi eiusmodi cruentis sacris initiatae reperiuntur, quamquam solemni baptismati caeterisque lustrationibus praesentes saepius repraesentantur. Iuxta initiatum stat praealta columella superne nuce pinea ornata, quae, teste *Clemente Alexandrino*, 9) inter praecipua mysteriorum Symbola locum habet. Ad eamdem columellam adligata est uestis; quam initiati Deo suspendere solebant. 10) Peractis sacris laeti clamabant: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον: *effugi malum*, *inueni melius*: uti ex Demosthene notarunt uiri eruditi. 10) Hinc etiam in titulis initiatorum frequenter occurrit uox: *feliciter*: quae etiam ab Epoptis et Mystis, initiatis saepius adclamabatur.

Non

1) Cap. II. et Salmasius p. 60.
2) Ex Dionysio Halic. L. I.
3) Regum L. IV. c. 16. et 17.
4) de Baptismo Cap. V.
a) Vid. Augustinum in cap. I. Ioannis Tract. VII.
5) Phil. a Torre de Mithra. C. V.
6) De Praescript. C. XL.
7) Apologet. II. p. 98. edit. Parif. Gr. Lat.
8) de Corona milit. in fin.
9) in admonit. ad Gent. p. 11. et 12.
10) Van Dale id ex Aristophan. scholiast. probat ibid. p. 50. et 51.

Non longe a Mithriaco milite Dea adstat alis expansis, nudoque corpore, ad iuuenem, qui gladio pectus suum caedit, blando ore conuersa; quae facile *Venus Mithra* credi possit, cuius meminit Herodotus 1) nisi eum errore quodam *Mithrae* nomen, quod Solis erat, Veneri tribuisse credamus; cum nullam *Mithrae* Solis fecerit mentionem. Veri tamen similius uidetur, eam esse *Venerem inferam*, siue, ut Romani dixerunt, *Libitinam*, Proserpinam, siue Hecaten, cuius imagines supra exhibuimus. Hanc *Argiui* Τυμβωρύχον dixere, quod sepulcra effodiat, reique funerariae praesit, ut docet *Clemens Alexandrinus.* 2) Etiam ἐπιτυμβία fuit uocata, cuius templum pulcherrimum fuit Delphis, ad quod inter libandum manes defunctorum euocarunt. *Venus Libitina* Lunam signat, quatenus est corruptionis caussa, eamque ideo cum principio uitae, tum fini praeesse crediderunt. 3) Vnde *Venerem* Οὐρανίαν, teste Pausania, e Parcis unam, mortalium uetustissimi crediderunt. 4) Ideo uero haec Dea cruentis hisce expiationibus fuit culta, quod his lustrationibus ad nouam uitam se renasci et regenerari crediderunt. Iis peractis, quasi natalem diem nouae militiae celebrarunt, oleo odorato fuerunt perfusi epulisque refecti: 5) nec solum palma, sed etiam mitra, et apud alias nationes pulcherrimis coronis ornati. 6)

SACRA ACHERONTICA

Sacra DEAE BELLONAE, ANCHARIAE siue FVRINAE, quae apud Etruscos in usu fuere, ex antiquissimis monumentis illustrantur.

Iam *Acherontica Sacra*, quorum auctor Tages creditur, eorumque ritus et caeremonias, auctoritate uetustissimorum marmorum paucis persequemur, quorum diserte meminit Seruius, 7) traditque, ut rite fierent, Acheronticos libros a *Tagete* compositos Etruscos habuisse, qui Sacro Deorum inferorum et Fatorum sortes continebant. Sacra Acherontica ad placandos Deos inferos, et pro defunctorum manibus instituta fuerunt, ut docet Arnobius. 8) Fuso circa aras et sepulcra Diis Manibus sanguine, animas ex inferis euocari, et ad beatorum sedes transferri, uetores Etrusci sibi persuaserunt. Antiquissimis temporibus id humano sanguine fuisse factum, monumentum in Tab. XLV. n. 3. allatum luculenter probat; in quo apparent homines militari habitu, qui mutua caede digladiantur; ex quibus duo semianimes in terram collapsi cernuntur. Eiusmodi uero digladiationes circa sepulcra factas, cum apud *Syros Scythasque*; tum apud alias barbaras gentes in usu fuisse, antiqua monumenta haud sinunt dubitare. 9) Idem apud Graecos obtinuisse, *Homerus* probat duodecim illis adolescentibus, quos *Achilles Patrocli* Manibus mactari iussit. Qualia etiam a Deo Iudaeis uetita sacrae litterae testantur. 10) Insequenti uero tempore, cum id nimis immane saeuumque uisum fuisset: uel sontes homines, uel captiuos perditosque seruos; ac denique atrociore humanitate illud officium temperaturi animalia adhibuerunt. 11) De Acheronte apud Tartarum fluuio, eiusque origine ac situ luculenter agit *Tucranius.* 12) Morem conducendi gladiatores ad munera funebria, qui suo sanguine manibus defunctorum parentarent, ab Etruscis ad Romanos peruenisse, probat Bonarrotius. 13) Praetera libationi-

Tabul. XLV.

Y bus

10) Orat. de Corona.
1) L. I. C. 331.
2) in admonit. ad gent. p. 24.
3) Vossius de Idol. L. II. c. 27.
4) In Atticis L. 1. c. 19.
5) Ex Iulio Firmico.
6) uid. Suidam in u. Λεύκη.
7) ad L. VIII. Aen. u. 398.
8) L. II. aduersus Gentes.
9) Plutarchus in Consolat ad Apollonium; Lucianus de luctu.
10) Leuitici C. XIX. u. 28.
11) Tertullianus libr. de spectaculis.
12) differtat. LXXXIII. in Anthol n. 14.
13) ad monumenta add. Dempstero §. XXVI. p. 39.

buis quoque, lacte, uino ac melle factis, Diis inferis litarunt, Deosque Manes ex orco euocare studuerunt. Cum uero *Bellona* maximum ac praecipuum fuerit Etruscorum Numen, suosque habuerit ministros et Hierarchas; itemque orgia eius ac mysteria magna religione celebrata, haud erit improbabile, si *Sacra Bellonae* hic repraesentari credamus, quae etiam sub Caesarum imperio adhuc uiguerant: cum uiros hosce militaribus armis ornatos, choreis aram Deae circumire uideamus. Haec sacra describit et ridet *Prudentius.* 1) Eadem saeuitia obtinuit in Sacris *Deum Matris Ideae*, *Isidis*, *Dianae Tauricae*, quas unum idemque Numen ueteres crediderunt. 2) Si quis censeat, in *Sacris Acherunticis* Etruscos humano cruore placare consueuisse non solum Bellonam; sed etiam *Furias*, earumque maximam *Furinam Deam*, quae eadem est *Ancharia*, non repugnabo.

Imaginum honorem a Diis ad homines quoque illustres fato functos cum Etrusci tam Romani transtulerunt; siquidem et uiros omnibus laetitiae signis, non secus ac in laetissimis conuiuiis, expressos; feminas uero omni cultu ornatissimas in istiusmodi sepulcris recumbentes obseruamus. Non raro etiam malum punicum tenent, *Veneri*, *Iunoni* ac *Proserpinae* similes, quibus Etrusci hoc immortalitatis symbolum dedere.

ETRVSCA ARVLA TRIPES

ex aere, in agro Cortonensi nuper eruta: serpente et auiculis exornata. Cuinam Deo suffitibus adolendis fuerit dedicata, inuestigatur.

Tabul. XLVI. Insigne Tuscanicum opus est *arula tripes*, quae in Tabul. XLVI. n. 1. exhibetur. Pedes eius recurui, qui gryphi simillimi sunt, et folia, serpens miro artificio absolutus, egregie expressis internitentibus undique maculis, structura denique ipsa et ingenium, non aliam, quam Etrusci opificis manum perspicue declarant. Suffitibus in honorem Dei, cui dedicata erat, inseruiisse manifestum est: nam in summo quadratae mensae cernitur cratera, odorum capax, qui a sacra facientibus incendi solebant. In quatuor mensae angulis sunt quatuor auiculae, quae columbas referre possunt. Vna auicula sursum ascendere nititur. Veneri Genetrici, cui columbae sacrae fuerunt, 3) sacra uideri posset, nisi serpens circumuolutus aduersaretur, quem Veneri sacrum esse nusquam, opinor, reperitur. Hinc potius cornices esse dicamus, ipsamque arulam Aesculapio dicatam, in cuius tutela serpentem esse omnes sciunt. Cornix uero Aesculapio tribuitur, quia est animal longaeuum, et quod quatuor aetates superat; indeque optimae ualetudinis symbolum. Hanc certe auem praefert manu Aesculapius in gemma penes Fabretum. 4)

1) Peristephan. u. 1056.
2) Apuleius metamorph. L. XI.
3) Aelianus de animalib. L. IV. c. 2.
4) ubi de columna Traiani disserit. p. 211.



MVSEI

MVSAEI ETRVSCI
CLASSIS QVARTA.

Etrufcorum militiam, foedera, triumphos, ludos, uenationes, nuptias, conuiuia, Muficam et funera complectens.

DISSERTATIO IIII.

De moribus inftitutisque Tufcorum, quorum Ethologia illuftratur.

Quantum fuerit terra marique Tufcorum imperium, *Liuii* teftimonio conftare poteft. 1) Aucta Etrufcorum potentia, Iano regnante, ultra Etruriae fines terra marique imperium proferre aufi funt. Siquidem proximas Siciliae regiones, complures infulas in mari Tyrrheno fitas, Sardiniam, Liguriam, Campaniam fere totam, Picenum, Rhaetiam, Galliam Cifalpinam, Vmbriam, occuparunt. Poft multa cum uariis gentibus gefta bella, Romulo contra Sabinos ad internecionem usque pugnanti ea auxilia praebuerunt, ut uictor difcederet, cum dextro cornu *Romulus*; laeuo *Lucumo* Etrufcus, uir rei militaris peritiffimus, praeeffent. 2) A Tyrrhenis autem Romanos omnem fcientiam militarem atque difciplinam didiciffe, ex Atheneo haud difficulter colligi poteft. 3) Inita cum Carthaginenfibus focietate, fexaginta nauibus inftructi aduerfus Phocaenfes pugnarunt, eorumque potentiam fregerunt. 4) Naualibus praeliis, inuentis ancoris, gubernaculis, roftris ac nauium munimentis, utrumque mare, Hadriaticum et Tyrrhenum fub fuam poteftatem redegerunt. Cum Romanis, qui decimas quotannis Etrufcis foluere tenebantur, per quingentos annos aequo Marte bella gefferunt, donec armis inuicti, luxu tandem nimiaque rerum fuarum felicitate uicti, Romanis feruire coacti fuerunt. Singulis nimirum diebus lautiffimae menfae ipfis pofitae fuerunt, lecti floridi, pocula argentea, fumtuofae ueftes, ludi, hiftriones, aliaque fpectacula mille ipfis in deliciis fuerunt. Quod ad eorum arma attinet, ueftes militares, thoraces, clypeos, ocreas, galeas, haftas, lanceas, contos, uncos praegrandes, gladios, fecures, faces, quaeque alia in bellis ufui effe folent, ea omnia luculenter et erudite expofuit uir doctiffimus Philippus Bonarrotius, quem confulere non poenitebit.

1) L. I.
2) Dionyfius Halicarn. Antiquit. Rom. L. II.
3) L. IV. c. 8.
4) Herodotus L. I.

GALEA EX AERE

non Phoeniciis, sed Etruscis characteribus inscripta illustratur.

Galea ex aere, Etrusco opificio et raritate maxime insignis, quam refert Tab. XLVI. n. 2. constat ex aere non percusso, sed fuso, quod ualde est mirandum. Inuenta est apud *Cannas*, Romani exercitus clade celeberrimas, ac pondere sex libras Florentinas aequat. Inscriptio litteris Etruscis addita, est: *Pul Kerna*. *Pul*, si e Graecis fontibus Etruscarum uocum originem petamus, potest idem significare, quod πολεων, *urbium*: *Kerna* autem uidetur ortum ex κεραυνός, *fulmen*, i. e. *urbium fulmen*, uel si ἀπὸ τȣ πολέμȣ ducendum sit, sonat *belli fulmen*. Hoc nimirum titulo forte decorari merebatur dux ille fortissimus; qui hac galea in bellis usus fuit: quamque a suis ciuibus, inter dona militaria, tamquam insigne suae uirtutis praemium atque ornamentum accepit. 1) Ita uero et *Virgilius* 2) et *Lucretius* 3) *Scipionem* utrumque *Africanum*, *belli fulmen* appellant. Apud *Pausaniam* *Ptolomaeus* cognomento κεραυνος dictus est, propter eximiam in bellicis rebus gerendis celeritatem; 4) ut alia exempla non afferamus. Si haec non placeant, ducis quoque nomen poterit notare: quod cum galeis, tum clypeis frequenter fuit inscriptum, ut ab aliis dignosci posset.

FOEDVS

ab Etruscis ictum iunctis dextris, ex anaglypho urnae emortualis illustratur.

Tabul. XLVII. Etrusca urna marmorea emortualis, quam refert Tabul. XLVII. n. 1. foedus indicare uidetur, ictum. Ita uero in foederibus sanciendis iurantes non per superos solum et terrestres; sed etiam per *inferos Deos* uidentur iurasse. Id certe fecerunt, cum bellum indicerent, ut *Liuius* declarat: 5) *Iupiter, et tu Iuno, Quirine, Diique omnes caelestes, uosque terrestres, uosque inferni, audite: ego uos testor.* Fiebat autem a Feciali, dum iuraret, etiam *sepulcri* mentio, ut ex illo foedere icto inter Carthaginenses et Romanos, apud Liuium patet. 6) Proinde equidem fidei erga defunctos seruandae, utque inferiae statis temporibus mitterentur, hoc existimo esse monumentum. Ex eo uero apparet, Etruscos in bello uexillum in hasta suspensum elatumque gerere consueuisse. Id insigne praefert miles ille, qui freno cohibet equum, cuius pectus gemmato duplici monili, uel pectorali uariis bullis ex ebore undique distincto, ornatur.

Forsitan hic equus dono dandus ducitur, cum in praeliis Heroes non singulari equo; sed biiugis uel quadriiugis curribus apud Etruscos usi fuerint, exemplo Aegyptiorum et Graecorum, apud quos mos hic obtinuit. 7) Etruscus uero hic uexillarius hasta suspensum gerit uelum quadratum, in quo uel ducis, uel cohortis, seu phalangis nomen suspicor scriptum fuisse, uel symbolum, quod milites adspicientes sequerentur. Hoc uexilli genus, quod insecutis temporibus *labarum* dixere, ab Etruscis Romani accepisse uidentur. Quid? quod *Plinii* 7) auctoritate, et uasis Etrusci Bibliothecae Vaticanae, sceptrum regium et consulare,

1) uid. Bonarrotius ad monum. add. Demster. §. XXVII.
2) Aeneid. L. VI. u. 843.
3) L. III. u. 1047.
4) In Atticis.
5) Decad. I. L. I. uid. Rosinum Antiqu. Rom. L. X. c. 2.
6) L. XXII.
7) loca affert Teithius Antiqu. Gr. Homeric. L. IV. c. 11.
8) Hist. natur. L. 8. c. 48. et L. 9. c. 39.

lare, aquila praepeti ornatum Etrusci monstrarunt, quos etiam Romani hac in re imitati fuerunt.

Non solum milites, sed etiam duces, more priscae militaris disciplinae, nudis pedibus adstant: duces breui tunica et trabea siue chlamyde ornantur, quam fibula seu bulla in medio pectoris adstringit: ac reliquorum militum chlamydes in humero dextro fibula subnectuntur. Singuli cingulo insignes sunt, clauis gemmisue distincto, cuiusmodi strenuis militibus ex auro donabantur, ut docet *Virgilius* 1) et *Claudianus*. 2) Duces hi ac milites uelitares hastas praeferunt: gladium tectum uagina gerunt. Buccinatores primi minores; secundi ordine maiores adparent. Tubam bellicam, ut notant Athenaeus 3) et Isidorus 4) Etrusci inuenere; eiusque usum primus omnium Tyrrhenus, Herculis filius monstrauit, ut docet Hyginus. 5) Duplex fuit, *recta*, qualis Bellonae classicum canenti tribuitur; et altera *reflexa*, qua hi buccinatores concinunt, qualem etiam in triumphali pompa Etrusci adhibuerunt. Canentibus buccinatoribus dextras iungunt Dux exercitus et Fecialis. Toga calceisque indutus Fecialis laeuam manu tenet: Feciales enim publicae fidei praeerant, bellaque concipiebant iusta, iidemque omnium gentium consensu sacrosancti erant. Ab Homero θεῖοι κήρυκες frequenter appellantur. Feciales eorumque ceremonias, Romani ab Etruscis, a Persis Etrusci accepisse uidentur. Quoniam uero nil sine ratione in monumentis ueteres insculpere consueuerunt, in hac cineraria urna foedus illud memorandum, quod Romulus cum Tito Tatio fecit: quo confecto, Iani simulacrum duplicis frontis effictum esse memorat *Seruius*, 6) quasi ad imaginem duorum populorum, qui foedere, (cui Ianus praeesse credebatur,) simul coiere. Potest etiam huic sepulcro congruere, quod de Mezentio Etruscorum rege memorant *Liuius*, 7) *Iustinus*, 8) aliique ueteres scriptores: 9) ideoque uir ille togatus erit Mezentius, qui cum Turno de coniungendis cum Rutulis, quibus ille imperabat, armis suis, data dextra paciscitur.

TRIVMPHVS ET OVATIO

Etruscorum inuentum: eius pompa siue adparatus e uetustissimo Vrnae sepulcralis emblemate elucidatur.

Ducibus post partam uictoriam in patriam reuertentibus *Triumphum* Etrusci Reges perquam prudenti consilio decreuerunt. Triumphalem currum omni ornatu elegantissimum lictores precedere iussi; quibus insignibus declararunt, triumphantem optime de republica meruisse. Fasces uittis sunt colligati, haud ornati securibus. Bulla et torque aureo triumphantis collum ornari; annulum tamen ferreum in digito praeferre imperarunt: seruumque in eodem curru uehi placuit, ut se hominem esse meminisset. Aequam triumphantis et serui fortunam adnotauit *Plinius* 10) et *Tertullianus*, 11) cuius haec sunt uerba: *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur; suggeritur enim ei a tergo: Respice post te: Hominem memento te.* Eaque de caussa in pulcherrimo hoc sepulcro triumphans cum triumphali pompa sculptus uidetur, ut id spectantes uiatores humanae conditionis, humanaeque gloriae uanitatis admonerentur; et Elysiorum perpetua gaudia post fata exoptarent. Triumphator obtutu defixus respicit seruum, caputque panno habet obuolu-

1) Aeneid. L. IX. u. 359.
2) L. II. de laudibus Stiliconis.
3) L. IV. Deipnos. uersus finem.
4) L. XVII. c. 4.
5) Tabul. CCLXXIV.
6) in Virgil. Aeneid. L. XII. u. 198.
7) L. I. Dec. I.
8) L. XLIII. c. 2.
9) Ouidius L. IV. Fastor.
10) L. XXXIII. c. 1.
11) in Apologet. C. XXXIII.

uolutum, ne forte plaudentium laetis uocibus delinitus supra mortale fastigium se efferret, nimiaque felicitate insolesceret. Triumphantem Ducem sequitur pedisequus seruus, breui tunica sine manicis et pallio indutus, qui e manubrio pendentem arculam tenet; in qua fascinum, inuidiae triumphantium medicum, ut ait *Plinius*, 1) fuisse arbitror; sicuti alias triumphantes amuleta bullae inclusa contra inuidiam e collo dependentia gestare solebant. Duo tantum in hac urna tubicines et duo lictores cum fascibus puris, nec laureatis omnem hanc Etrusci triumphi pompam constituunt. Deinde sequuntur quatuor equi, elegantissimis pectoralibus ornati, iunctique ornato currui, in quo sculptus gryphus, animal Soli sacrum.

Denique triumphantem monitor in eodem curru stans, et alter seruus pedisequus comitantur. Mediocris hic adparatus triumphalis specimen exhibet triumphi modestissimi, cuiusmodi Etrusci multis ante Romam conditam annis instituerunt. Splendidioris exempli triumphum exhibet Dempsterus in Tabul. XLVIII. Insecutis temporibus, quam omnem modum excesserint Romani in triumphis, luxu atque splendore, antiqua monumenta testari possunt. Verum non triumphi solum; sed Ouationis quoque auctores exstitisse Etruscos, notat Dempsterus. 2) Sex millibus hostium interfectis, uel minimum quinque, ex lege triumphali, moris erat apud Etruscos *triumphare*: *ouare* uero iis concessum, qui minus insigni caussa hostem in acie profligassent. Primum ouantes urbem pedibus ingressi fuerunt, ut notat *Plinius*; 3) deinde aucto ouationis honore, equis inuehi ouantes consueuerunt. Hinc in urna hac dux alter Victor prope triumphantis currum, ornatus galea, equo monili gemmato frenisque insigni inequitat. *Ouare* ab *oue*, qui post peractam ouationem mactari solebat, deriuatum docet *Plutarchus* in Marcello: *Festus* autem uerisimilius ab o o gemina littera, nimirum a fausta adclamatione deriuat. Ouantibus uirtutis ergo datam coronam myrteam obseruat idem *Festus*. Ouatio denique concedebatur, cum bella non fuerunt indicta, aut sine sanguine confecta. Ex hac igitur sculptura colligi potest, quis fuerit apud Etruscos uetustissimus omnium *Triumphi* et *Ouationis* adparatus et pompa; a quibus haec omnia Romani acceperunt ac porro ampliarunt. 4) Denique uictores bellica spolia et arma, itemque triumphalia ornamenta in templis Deorum consecrata suspenderunt. 5)

LVDVS TROIAE

ludi equestres, curules et gladiatorii Etruscorum ex antiquis sculpturis illustrantur.

Tusci uictores triumphantes, amicti triumphali ueste, ludos quoque in sempiternam rerum gestarum memoriam edere consueuerunt. Variae autem uidentur esse caussae, cur hosce ludos in sepulcris quoque sculptos uoluerint. Prima fuisse uidetur, ut hominum uita fragilis ludo per omnia similis, 6) itemque fatum et mors, quae omnes manent, declararentur: nam exultantibus gaudio spectatoribus, laudis et gloriae cupidi decursores ex equo deiecti mortem oppetebant, ut in hac urna cernimus, idque etiam aurigis, athletis, gladiatoribus et bestiariis accidebat; quare publica illa uoluptas, beatorum apud Elysios laetitiam: luctus uero mortem atque humanae uitae uicissitudines designabant. Horum ludorum origo ab Etruscis, iam ab Heroicis inde temporibus petenda uidetur, ac Heroes, ut *Hercules*, *Thesèus* aliique gymnicis certaminibus operam dederunt. a) Prima illorum ludorum

1) L. XXVIII. c. 4.
2) De Etrur. reg. L. III. c. 37.
3) L. XV. c. 29.
4) uid. Dempster. de Etrur. Reg. L. III. c. 36.
5) Idem Tab. XXVIII. et XXXII. et Bonarrot. ad monum. add. §. XXV.
6) Terentius in Adelph. Act. IV. Sc. VII.
a) Diodorus Sicul. L. IV. p. 155.

rum caussa fuit religio, qua ut rite Deos colerent, etiam Musicam, uariaque Musica certamina inuenerunt, atque animum uirtutis studio, corpus uero ludis exercuerunt, ut ex *Strabone* 1) colligi potest. Haec sacra certamina ludosque Etrusci primi omnium in Italiam inuexerunt. Hi ludos theatrales, scenicos, athleticos, gladiatorios, funebres, equestres, pedestres, curules docuere; a quibus Romani acceperunt. Id Liuius testatur: 2) *ludicrum, equi pugilesque ex Etruria maxime acciti.* *Tacitus* quoque adfirmat, 3) a Tuscis non histriones tantum, uerum etiam equorum certamina Romanos esse mutuatos. Id non nisi religionis caussa factum docet *Tertullianus.* 4) *Ludos equestres equorumque certamina* exhibet insignis urna cineraria in Tabul. XLVIII. relata. Cernimus in ea acies bifariam diuisas concurrere ad simulacrum pugnae: quod etiam insecutis temporibus seruatum docet *Liuius.* 5) Ex his aliqui equis insidentes cursu quam ocissimo decurrunt: alii pedestres pugnant partim nudo capite, partim galea tecto et clypeis armati. Alii equites amicti chlamyde equum ducunt, ut alteris equitibus decursione sua functis succedant. Nudus ille uir, qui conspicitur in caput praecipiti lapsu deiectus, equorumque pedibus protritus, haud dubie defuncti fatum supremum, ludosque funebres circa sepulcrum celebratos designat. Hunc *ludum Troiae*, non in funeribus tantum, sed etiam ob memorandum aliquod factum celebrare consueuerunt; ut de *Ascanio* constat, cum *Albam* moenibus cinxisset.) *Virgilius* parem laudem *Aeneae* ac *Tarchonti*, in celebratione ludorum in honorem defuncti Pallantis tribuit; unde potest colligi, hosce ludos in Etruria in usu fuisse. Vetus fuit lex, praesertim in ludo Troiae, ut equites peditesque armati laeuos orbes agerent, circumque sinistram primum motu facto, deinde ad dextram decurrerent: 7) idque etiam in circorum decursionibus obtinuit. 8) Id etiam ab Etruscis usurpatum in hoc equestri certamine, manifeste ostendit sculptura huiusce urnae, in qua equites a laeua in dextram decurrunt. Decursio ut accuratius in orbem fieret, in dextra urnae parte turris praealta rotunda adsurgit, superne pinnis coronata. Circi et Circensium ludorum exemplum a Tuscis ad Romanos uenisse, uel exinde colligi potest, quod, teste *Liuio* Tarquinius Priscus, Tarquiniis Etruscorum urbe profectus, primus omnium Romanis monstrauit circenses ludos, equis pugilibusque ex Etruria accitis.

Tabul. XLVIII.

Ludos curules et *agonalia* Etrusci quoque, mense Ianuario, ob laetitiam ineuntis anni, in honorem Iani, cuius numen maxime coluere, ediderunt; eiusque in festo munera inuicem miserunt, quod etiam a priscis Latinis factum constat. 9) Gladiatores quoque ludosque gladiatorios inuenere Etrusci, 10) quos cum in funeribus et conuiuiis, tum in publicis ludis et theatris exhibuerunt. Ad Tabulam XLVII. reuertor, in qua notandum, alterum tantum lictorem gerere etiam bacillum, quo a dextris populum submoueret, ne uiam impediret.

SALTATIO ARMATA

Ludi gymnici et uenationes ueterum Etruscorum; In natali NOVI SOLIS Mithriaci celebrati, ex anaglyphis sculpturis marmoreae cathedrae arcuatae illustrantur.

Coelium montem antiquitus Querquetulanum a quercuum copia dictum, olim Etrusci occuparunt, et a Coelio Vibennio, duce, Coelium appellarunt. 11) In eius cliuo

1) L. X. p. 467.
2) L. I. Dec. I.
3) Annalium L. XIV. n. 21.
4) de spectaculis C. II.
5) L. X. de bello Macedonico.
6) Virgilius Aen. L. V. u. 596.
7) Statius Theb. L. VI. u. 213. Turnebus aduers. L. V. c. 8.
8) Fabretus de col. Traian. C. VI. p. 144. 146. 147.
9) Corradini uet. Lat. L. I. C. 25.
10) ex Nicolao Damasceno apud Athenaeum L. IV. p. 155.
11) Varro L. IV. L. L. Festus L. III. Dionysius Halic. L. II. Antiq. Rom. Tacitus L. IV. Annal.

A. CIↃ IↃCCXXXII. effossa est marmorea Cathedra arcuata, anaglypticis sculpturis insignis, quae exhibetur in Tabul. XLVIII. Hanc cathedram, *Mithrae inuicto* dedicatam, Etrusci operis esse exinde auguror, quod praeter Coronides et Maeandra, alia quoque habet ornamenta, quae etiam in uasculo illo argenteo, Etruscis litteris inscripto occurrunt, quod exhibetur apud Dempsterum in Tabul. LXXVII. In superiore zona, quae anaclinterium intrinsecus ornat, sex equites cernimus, equis insidentes, quos, antiquo more, nec frenis, nec uelis regunt. Armati sunt galea, clypeo, et gladio, induti uero breui tunica. Singulis equitibus praecunt pedites iisdem armis, ac praeterea hasta lati mucronis, instructi. Hi, ut puto, proficiscuntur ad ludos in honorem *Dei Mithrae* celebrandos. Siquidem ita armati decurrere solebant, et circa aram, in qua sacer ignis ardebat, Deo sacra facientes, saltabant saltatione armata, quam Pyrrichen dixere. In altera zona, qua anaclinterium eiusdem marmoreae cathedrae ornatur, insculpta est uenatio. Tres apros diuersa uia fugientes uenatores cum canibus, armati sagittis et uenabulo, ut eos confodiant, persequuntur. In tertia zona, quae inferiorem partem ornat, nil notatu dignum, praeter flores et folia, occurrit. In infima uero zona, uir est magnae staturae, nudus corpore, breuibus brachiis, ingenti capite, qui in aram ita incumbit, ut ex ea paullatim adsurgere uideatur. Verisimile mihi uidetur, eum posse referre *Deum inuictum Mithram*, cuius natalem diem ueteres Etrusci, ac deinde Romani, Persarum atque Aegyptiorum exemplo, equorum decursione ludisque circensibus celebrare consueuerant. 1) Natalis eius cum multa celebritate agebatur VIII. Calendas Ianuarias, nimirum uicesima quinta die Decembris. Siquidem Sol, integro Zodiaci circulo per anni tempestates decurso, tunc quasi ab imo et profundo loco emergens ad superiora reuertitur, nouumque cursum inchoando, quoddammodo renasci uidetur. Id etiam adnotauit *Iulianus* de hoc natali Mithrae disserens. 2) Cum igitur Sol nouum cursum instaurat, quasi in nouam uitam prodit, isque *dies* eius *natalis* appellatur. 3) Recte uero factum uidetur, ut Sol giganti similis ex ara se attollens exprimatur, ut ostendatur ex inferiore hemisphaerio ad superius eo tempore adsurgere. 4) Prope aram *Nascentis Solis* adstat iuuenis aperto capite, breui tunica amictus, qui dextra sublatam eum euocare uidetur: sinistra uero breue iaculum tenet, quasi radiorum Solis in nouo ortu exiguam uim notet. Hiemis tempus indicant apri in altera zona sculpti, quos uenatores occidere conantur. Nam Adonidis fabula ab apro interemti, Solem, cum in hiemalibus signis moratur, praefigurat. 5) *Ianus* maximus princepsque omnium Deorum idem ac Sol a Macrobio censetur; ideoque *Patuleius* et *Clusius* dictus, quod ortus mundum aperire uideatur, occidens uero claudere. 6) Interim *Sole nascente* iuxta eius aram in signum publicae laetitiae, ludi gymnici duplicis generis spectantur; iisdemque duo Gymnasiarchae praesunt sedentes, ut ostendit Tabul. XLVIII. Ante eosdem Gymnasiarchas duae hastae humi defixae uisuntur, quae luctatorum praemia esse possunt. Infima cathedrae zona ostendit, in celebrando *Natali die Solis* sacrificium sollenni ritu peractum fuisse. Primum iuxta arborem, quatuor tantum foliis frondosam iisque maioribus, ad indicandam temporum instaurationem, ara sublimior sacro igne accensa est. Insunt in eadem ara instrumenta quaedam sacrificalia ignota. Ad sacrificium accedit iuuenis, qui, quod notatu dignum, hoc tantum in loco, equum frenis ac loris moderatur. Forsitan is est sacerdos *Solis inuicti Mithrae*, elegantiore prae ceteris uestium cultu insignis, qui honoris caussa, ad hoc sollenne sacrum peragendum equo uectus proficici solitus; uel potius eumdem Solem exprimit, qui praeparato sibi sacrificio praesens aduenit. Nam Etrusci quoque singulis actionibus, maxime uero sacris peractis Deos praesentes esse crediderunt. 7) Victima in hoc sacrificio immolari solita, taurus fuit, quem uitta

Tabul. XLVIII.

1) Philipp. a Torre de Mithra Cap. VI. p. 225.
2) in Orat. IV.
3) Macrobius L. I. Saturnal. C. XVIII.
4) Philipp. a Torre de natali die Solis.
5) Macrobius Saturn. L. I. c. 21.
6) Idem L. I. c. 9.
7) Bonarrotius ad monum. addit. Dempst. §. XXII. p. 30.

uitta sacra coronatum, ac forsan etiam cornibus inauratis, uictimarius, qui laeua securim defert, ad aram immolandum adducit; taurum sequitur alter iuuenis e sacro Mithrae famulitio, dextra stimulum, laeua cymbium, forte ad colligendum taurinum sanguinem portat. Sequuntur alii duo, lagenam ad fundendum uinum, humeris suspensam ferentes; posterior gerit etiam capedunculam. Hos sequitur *Canephora* uelato capite, amicta stola succincta, quae cistam sacris plenam capite fert; dextra uero uasculum portat. Agmen claudunt duo uiri simul euntes, ornati palliolo, latitantibus brachiis, qui forte sunt hymnologi, uel mimi et histriones, qui in aliis quoque Etruscis uasculis palliati repraesentantur. Sacrificuli hic quoque rem diuinam nudis pedibus peragunt. In his annuis sacris, ut opinor, erat aliquis, qui ad aram, ut in hoc marmore exhibetur, solis persona indutus, eum gestu nisuque e profundo emergentem *nascentemque* repraesentabat. Hanc uero cathedram *Soli inuicto Mithrae* sacram fuisse arbitror. In hoc solio etiam initiatos collocabant ὁμοθρόνους, *Diis aequales sessores*, qui ritus dictus est θρονισμὸς siue θρόνωσις, ut obseruat *Meursius*, 1) ac meminit *Plato*, 2) *Dio Chrysostomus* aliique. 3) Ritum huius in solio collocationis descripsit *Orpheus*. 4) Praeterea initiatorum caput oleae germine coronabatur; 5) uenter fascia purpurea circumligabatur. Horum sacrorum arcanorum meminit *Arnobius*. 6)

MVSICA ET POESIS ANTIQVA

Etruscorum; Ludi Scenici, Tragoedi, Comoedi, Ludiones personati, Histriones, Mimi, Saltatores, ceterique artifices illustrantur.

Musicam, diuinum inuentum, Romanos a Tuscis accepisse *Strabo* testatur. 7) Cum enim Etrusci hac arte ualde excellerent, eorum exemplo Romani, Numa auctore 8) Collegia Fidicinum et Tibicinum instituere, qui publicis Sacris praesto essent. 9) Caelestem Musicae originem credidisse Etruscos exinde colligitur, quod simulacris Deorum musica instrumenta addiderunt, Italisque gentibus monstrarunt. Ex allatis enim iam signis constat, eos *Apollini* et *Musis* citharam ac plectrum; *Pani* tibias et fistulam; *Baccho* quoque et eius famulis pro insignibus musica organa tribuisse. Quam ob rem, cum Deos musicis cantibus delectari; hominesque iisdem ex agresti feraque uita ad humanitatem primum perductos credidissent: Musicam in sacris Deorum adhibendam esse sanxerunt. Omnium musicorum instrumentorum antiquissimum fuit *fistula*, ex pluribus calamis compacta primum paribus, postea imparibus, ad cuius sonum sacras choreas in honorem Deorum instituerunt. Neque etiam sacros conuentus habere, pompas Deorum celebrare, sacra libamina et sacrificia offerre sine musicis instrumentis consueuerunt. In his lyram, tibias, buccinam, tympana, cymbala, crotala, scandulas aliaque hormonica organa fuisse, ex antiquissimis Etruscorum monumentis illustrat *Bonarrotius* 10) In conuiuiis quoque, in nuptiis, in funeribus, musica instrumenta adhibuisse Etruscos exploratum est. In bello quoque Heroes et milites pugnarunt ad buccinae strepitum; pugiles ad concentum tibiarum certarunt, ut antiquissimae Etrusc-

1) L. IV. Graeciae feriat. p. 175.
2) In Euthydemo.
3) Orat. XII.
4) Apud Suidam Tom. II. p. 719. in u. Ὀρφεύς.
5) Proclus in Platon. de Republ.
6) L. IV. aduers. Gentes.
7) Geographic. L. V. p. 220.
8) Plutarch. in uit. Numae et in quaestion Rom. p. 277.
9) Gruterus CLXXV. 10.
10) Vid. etiam Etrusc. uasc Dempstero addit. Tab. XI. XII. XVII. et XVIII.

Etrufcorum picturae et fculpturae probant, et Eratofthenes apud *Athenaeum.* 1) In funeribus Tragicam faltationem ad grauiorem maioris fiftulae cantum exhibitam fuiffe docet urna a Dempftero edita in Tabul. LXXIII. Quae omnia primum ad uirtutem comparata, poftea in luxum conuerfa fuerunt. Muficos quoque ludos habuiffe ueteres Tufcos antiqua monumenta extra omnem ponunt dubitationem. Cum ipfa religione et Mufica, Poefis quoque nata uidetur. Saliorum carmina, quae faltantes canebant in honorem Deorum, id probant ac 2) *Macrobius*, et Tabula Eugubina Etrufce fcripta, quam *Gruterus* primum edidit. 3)

Etrufcos hiftriones ac Mimos perfonatos in pulpito fabulas et diuerbia egiffe perfpicue declarat Etrufcum uafculum, editum in Tabula XC in fine Dempfteriani operis. Siquidem Mimi duo, nani perfonati, nudipedes, cum fictitio gibbo et uentre, in pulpito rem agunt, iocis, et facetiis fpectatores ad rifum excitantes; in altera eiusdem uafculi parte duo uiri palliati adftant, fabulamque agunt; uti in aliis quoque uafculis Comoedi palliati confpiciuntur. Horum exemplo etiam Rhapfodi in theatris et in conuiuiis carmina Homerica recitantes, uel nugas et garrula uerba effutientes, uirgas et baculos praeferebant. 4) Pulpitum Etrufco
Tab. L. opere ornatiffimum in paruis figillis ex aere confectis repraefentatur in Tabul. L.

Perfonatos Deos et Heroas induxere Etrufci in pompis et in orgiis Deorum, in facris conuentibus et feftis, itemque in triumphis, in conuiuiis et theatris, quod oftendunt complura uafcula, quae apud Dempfterum proponuntur; et in eo, quod in Tabul. L. n. 2. et 3. exhibetur. In altera huius uafculi parte perfonati ludiones referunt Bacchum, cornu et ramos manibus praeferentem. Baccho *Silenus* fiue *Satyrus* uinum offert, paratus mifcere e uafculo, quod gerit. Adftat *Ceres*, ni fallor, uelatis manibus. In altera parte perfonati item tres ludiones Deos comites referunt; Mercurium cum caduceo et talaribus in pedibus: Herculem cum claua, arcu et pharetra: demum Mineruam cum aegide et fimbriata uefte, quae dextra haftam; finiftra galeam praefert: ad pedes animal, forfitan cerua, obferuatur. Inter Profcenii Etrufci decora fuerunt columellae et arae excelfae, utpote Diis caeleftibus facra: *Ioui* primum, quem hiftriones in fcenam prodituri inuocarunt 5): deinde *Baccho*, cui praefertim ludi fcenici facri fuerunt. 6) Ponebantur etiam arae *Apollini* in comoediis, et quidem ad dextram: ad laeuam uero ei Heroi Deoue uel Deae, in cuius honorem ludi celebrabantur. Hae arae coronis decorabantur 7) alias: apud Etrufcos uero omnes erant purae, nulloque ornatu, ut uidere licet in Tabulis XI. XX. LXXXVIIII. XC. apud Dempfterum. Vifuntur tamen interdum uela parua fufpenfa; feu facrae uittae; itemque placentae et panes in quatuor partes diuifi, quae quidem omnia lufus pictorum credi poffunt. Confpicitur hic tabula oblonga; tribus chordis inftructa, quibus plectrum infertum eft, quae ueterum Affyriorum *Panduram* referre uidetur, 8) nifi potius pro cithara omnium antiquisfima trium chordarum, quae ἀσιάδις dicta eft, eam habere uelimus.

Tab. LI. Infigne uafculum eft, quod exhibetur in Tabul. LI. n. 4. et 5. in quo fex ludiones planipedes picti funt: tres in antica; tres in poftica parte. Ille, qui fufcinam uibrat, Retiarius effe uidetur, reliqui fecutores et cum his etiam pugnantes Myrmillones. Secutorum arma, uti ea defcribit *Ifidorus*, 9) cum hac pictura ualde conuenire uidentur. Non enim fola fufcina, fed etiam rete, arma retiariorum fuere. Pugnante retiario cum fecutore prope columellam, fiue aram adftat alter fecutor, qui, ut opinor, uicit, praemiaque confecutus eft, nempe torquem, qui ex eius collo dependet, et haftam puram. In poftica parte huius Etrufci uafculi pictus eft fecutor cum Myrmillone pugnans. Ex hoc igitur intel-

ligi

1) Deipnof. L. IV. c. 13.
2 Saturnal. L. I. c. IX.
3) Pag. CXLII.
4) Suidas T. III. p. 254. in u. ῥαψῳδία.
5) Plautus in Prolog. Amphitr. u. 91.
6) Donatus in Andriam Terentii Act. IV. Sc. III.
7) Ibid. Act. IV. Sc. III. u. II.
8) Pollux L IV. n. 60.
9) Etymolog. L. XVIII. c. 55.

ligi potest, antiquissimum esse Retiariorum et secutorum ludicrum, et ab Etruscis, ut talorum et pilae ludi, aliaque plurima, ad Romanos peruenisse. Denique hic notandum, Italis et Romanis hinc quoque innotuisse Bacchanalia et Personas, quas nunc *Mascheras* dicunt, quod ex his aliisque apud Dempsterum monumentis manifestum est.

NVPTIIS ETRVSCORVM

Dii Deaeque uindices scelerum praesentes: quibus sacris praemissis, quibusue caeremoniis & auspiciis dextrae iunctae: Augures ac Pronubae mulieres, pueri patrimi et matrimi adesse soliti.

Tusci in plurimis cinerariis Vrnis *Nuptias* ante ostium domus iunctis dextris peractas expresserunt; easque cum funeribus maximam habere similitudinem crediderunt: quippe tam nuptias, quam mortem fines hominibus esse uidebant. Quanta fuerit Tuscorum in celebrandis nuptiis religio, exinde perspici potest, quod Deas Furias, scelerum ultrices iis adesse, sibi persuaserunt. Quibus adiunxerunt Genium familiarem cum malleo; siue Pilumnum uel Picumnum, coniugum auspices Deos: Discordiam, seu potius Hecaten, nudato gladio terribilem, quibus forte numinibus etiam sacra fecerunt, ut mala omina auerruncarent, mitesque adessent. Deos bonis nuptiis castaque fide susceptis praesentes esse etiam Graeci crediderunt, ut ex fabulosis illis *Cadmi* et *Harmoniae* nuptiis adparet. Quo comitatu, quaue pompa Sponsi et Sponsae ad sacra nuptialia accesserint; quaeque dona Diis coniugialibus obtulerint, iam supra docuimus Inprimis hic auspicia captata ante nuptias obseruanda sunt, de quibus Cicero adeundus, antequam more antiquissimo, a Persis accepto, dextrae iungerentur, quo concordia et mutua fides coniugum declaratur Omnia ex aequo inter coniuges partienda, indicant serui trabem per medium secantes. Duo etiam Augures sedent, auspicata instrumenta uersantes. Adstant etiam duo uiri hymenaeum et nuptialia forte carmina canere soliti, quae *Fescennina* dixerunt, Fescenniae in Etruria inuenta. 1) Tabul. LI.

TRICLINIA ETRVSCA

Vasculorum, coronarum et unguentorum luxus: Serui epulas et uina ministrantes: acroamata in conuiuiis; Vrnae cinerariae Etruscorum illustrantur.

Triclinia ueterum Etruscorum pretiosis stragulis et lectis fuisse instructa, ex allatis duobus sepulcris Etruscis in Tabul. LI. n. 3. 4. potest intelligi. *Athenaeus* 2) diserte testatur, apud Tuscos bis quotidie sumtuosas mensas parari solitas; seruos autem pretiosis uestibus indutos poculis argenteis ministrasse. Aderant quoque Saltatores et Psaltriae, Comoedi, Mimi, Histriones, Citharoedi et Citharistriae, Symphoniaci et Poetae, qui carmina cecinere, qualia exstant apud Homerum in Demodoco et Virgilium in topa, quibusque conuiuas exhilarabant.

1) Vid. Dempster. de Etruria regal. L. IV. c. XLVI. 2) Deipnosoph. L. IV. c. 13.

Tufcorum phialas ex auro fculptas laudat Critias apud Athenaeum. 1) Pocula infigni artificio in capita diuerforum animalium defınebant: Conuiuae myrto redimiti, fertis et corollis ornati, tenuibus ueftibus amicti difcumbebant. Vxores non ad pedes, aut in gremio, fed pari gradu ad latus uirorum, quorum amantiffimae erant Tufcae, difcumbebant Tufci Genio lautius indulgebant; hinc lecti difcubitorii in cinerariis urnis confpiciuntur, quales exhibet Tabul. LII. n. 1. 2. 3.

MVSAEI ETRVSCI
CLASSIS QVINTA.

Etrufcorum litteras, gemmas, artes, inuenta infigniora complectens.

DISSERTATIO V.

De prifca Tufcorum fcriptura, lingua, artibus et inuentis.

Res Etrufcorum et *Armis* et *Litteris* mirifice auctae fuerunt. Religio litteris adeo inclaruit, ut Romani non ab aliis, quam a Tufcis facras caeremonias, ritus cultusque Deorum didicerint, miffis ab urbe Roma condita, ut plures Scriptores teftantur, fex nobiliffimis pueris, qui eorum litteris ftudiisque imbuerentur. De Etrufcorum litteris teftatur Diodorus ficulus. 2) Tufcos dudum ante Troiana tempora proprias litteras, dialectum, moresque habuiffe, fatis fuperque conftat. 3) Ilicis litteris Etrufcis infcriptae ac religione cultae meminit Plinius 4); et Cenforinus 5) laudat rituales Etrufcorum libros et Hiftorias. De *Tagete*, *Bacchetide*, *Bygoe* Harufpicinae auctoribus, de libris fulguritarum arborum, facrorum Acheronticorum, deque caeteris praeclaris difciplinis fuperius iam differuimus. Praeterea Romani iura Fecialia et fupplementa duodecim Tabularum ab Etrufcis accepere. 6) Aftronomiae eosdem fuiffe peritos, ex Plinio colligi poteft. 7) Conftat etiam, annorum, faeculorum et magni anni reuolutionem eos obferuaffe. 8) Nec dubitandum eft, Numam regem numerandi fcientiam ab Etrufcis didiciffe; fiquidem in conftituendo anno trecentis quinquaginta quatuor diebus, eoque partiendo in duodecim menfes, obferuato non Solis, quod Graeci fecerunt, fed Lunae curfu motuque, Tufcos fecutum fuiffe. Id etiam apparet ex Tufcis nominibus *Iduum* et *Nonarum* 9) Quam eximia naturae rerum fcientia Etrufci praecelluerint; quantum etiam Philofophiae ftudio, cum ex Etruria, Italicae Philofophiae parens, Pythagoras prodierit, perfpici poteft. 10)

Vetu-

1) Idem L. I. c. 12.
2) Bibl. Hiftor. L. V. p. 219.
3) Dionyf. Halic. L. I. c. XXX. Strabo L. V.
4) Hiftor. nat L. XVI. c. XLIV.
5) de Die natal. c. XI. et XVII.
6) Ex Seruio in L. VII. Aeneid. Virgil. p. 479.
7) Hiftor. natur. L. II. c. 53.
8) Cenforinus de Die natal. c. V.
9) Macrobius Saturnal. L. I c XV.
10) Clemens Alexandrin. Stromat. L. I.

Vetustissimas esse Etruscorum litteras exinde apparet, quod, Aegyptiis et Phoeniciis exceptis, nulla exstant litteris inscripta monumenta, Etruscis antiquiora. Tabulae Eugubinae aeri inscriptae tantam prae se ferunt antiquitatem, ut duabus ferme aetatibus ante Troianum bellum scriptae credi possint; cum enim Pelasgi illa tempestate maximis calamitatibus premerentur, quas descripsit Dionysius Halicarnassensis 1): uota precesque in iisdem ueterrimis tabulis scriptas proposuerunt, quae statis sollennibus conuentibus canerentur a Pontifice eiusque sacro collegio, quibusque Iouis et Martis opem implorarunt. Nec aeri tantum; sed etiam plumbeis laminis, sepulcris, cinerariis marmoribus, urnis fictilibus litteras inscripserunt, ad quas pingendas frequenter colore rubro, uel nigerrimo atramento usi fuerunt, quod ita adhuc uiget, ut litterae heri, uel nudius tertius pictae uideantur. Gemmas quoque annulares epipraphe ornarunt, ut sequentes tabulae ostendunt. Eburneam tesseram insignem, litteris Etruscis inscriptam erudite explicat Oliuerius. 2). Simulacra Deorum tum aerea, tum marmorea, in femore, cruribus, et uestibus, litteris Etruscis notata, apud *D*empsterum, et in hoc Musaeo Etrusco occurrunt. Simulacrum Sesostris ab Herodoto memoratur ex altero ad alterum humerum litteris inscriptum fuisse in Ionia. 3) Cicero in Verrina V. laudat Apollinis signum, in cuius femore litteris argenteis nomen sculptum fuit, quod superius in Tabul. V. exhibuimus. Sic etiam beatus Ioannes in diuina Apocalypsi Dei imaginem pingens ait: Et habet in uestimento et in femore suo scriptum: *rex regum et Dominus dominantium.* 4) Ad scribendi rationem quod attinet, notandum est, Tuscos exemplo Aegyptiorum, Phoenicum aliarumque Orientis gentium semper, (si paucissima exempla excipiamus) uersus a dextro latere inchoatos in laeuum duxisse. Litterarum quoque figura in scripturis, uti apud Graecos, Romanos aliasque gentes factum nouimus, pro aetatum temporumque differentia uariat, ita tamen, ut paullo adcuratiori studio facile ad suas classes redigi possint; quod feliciter iam factum a *Bonarrotio*, et *Bourguetio* satis superque constat. Quodsi uero uetustissimas Phoenicum et Graecorum litteras nobis ob oculos ponamus, uti eas in Sigeo lapide apud eruditissimum Edmundum Chishull uidemus, admodum similes Tuscorum litteras fuisse reperiemus.

MONETA ETRVSCORVM

Quid capita Deorum, litterae, notae, orbiculi, aliaque emblemata significent, disquiritur.

Etruscorum monetam uetustissimam et ante Romam conditam fuisse, dubitari nequit. Non autem ex typo expressa percussaue; sed ex aere fuso fuit conflata, id quod ex opificio, notis et symbolis eius argui potest. Ea in amplissimis Museis nunc rarissima est. Memorant quidem ueteres, *Ianum* apud Etruscos signandae monetae auctorem fuisse: sed notas, symbola, emblemata, quae in his occurrunt, silentio praetereunt. Qua uero de caussa aes primum signatum fuerit, declarat Macrobius 5); *Ianus cum Saturnum classe peruectum excepisset hospitio; et ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum et rudem ante fruges cognitas uictum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. Dum primus quoque aera signaret, seruauit et in hoc Saturni reuerentiam, ut quoniam ille naui fuerat aduectus, ex una quidem parte sui capitis effigies; ex altera uero nauis exprimeretur, quo Saturni memoriam ad posteros propagaret.* Theodorus Ryckius 6) ex Eusebio ac Dionysio colligit, exordium regni Iani in annum

1) Dionysius Halicarnass. Antiquitat Rom. L. I.
2) in explicat. ad monumenta Pelasgica, in Tab. in fine Fig. V.
3) L. II. quem uide.
4) cap. XVIIII. u. 16.
5) Saturnal. L. I. c. 7.
6) diss. de primis Italiae colonis c. V.

annum incidere sextum ferme et quadragesimum supra centesimum ante Ilii expugnationem; unde perspicuum est, quam antiquae sint Tuscorum monetae. Saturni effigiem referre uidetur assis, qui adfertur in Tabul. LIV. Littera S. Semissem innuere potest. Possit etiam conuenire Iano, quem classe in Italiam aduectum esse testatur Draco Corcyrensis apud Athenaeum, 1) praesertim cum laurea sit ornatus. Nam Ianus non solum coronarum inuentor habebatur; sed quoque singulis Calendis mos fuit Ianum coronare. 2)

Tab.LIV. Ratem siuenauim expressam refert aes graue, adlatum in Tabul. LIV praefertque cum rate caputDeae galeatum, Romae simillimum, quod cernimus in nummis, qui dicuntur consulares. Galeae iungitur mitella, quemadmodum in simulacro Deae Valentiae superius edito in Tabul. II. obseruauimus. Inter priscam Etruscorum monetam et Romanorum illud interesse discrimen uidetur, quod Etruscorum pondera siue Asses, ex aere fuso conflatoque constant; Romanorum uero percussi cusique sunt; adeoque Etruscae monetae antiquiores censentur, utpote ante artem cudendi conflatae. Apud Romanos signati aeris auctorem alii Numam, alii Seruium Tullium faciunt. 3) Allatae autem a nobis monetae profecto uel longe superant, uel aequant Vrbis originem. Pro antiquissimis omnium illae monetae haberi solent, quae uel ab usitata forma recedunt, ut ea in Tabul. LV. oualis figurae: uel Deorum non imagines, sed notas quasdam et emblemata praeferunt. Occurrit Delphinus seu tyrso, (est piscis Delphino congener) qui cum Tyrrhenorum nomine congruit, quo primum Tyrseni uocati sunt; de quo nomine uidendus Bonarrotius 4). Videre etiam est, in his Etruscorum monetis expressos talos lusorios, qui originem Tyrrhenorum a Lydis, qui talos aliaque ludorum genera inuenerunt, fortasse significant. Accedit musca, apis, seu potius cicada et tridens, ut in eadem Tabula. Bipennis et rota; pariterque rota et ancora ab Etruscis inuenta.

Sunt etiam numismata Etruscorum ueterum, quae caput biceps praeferunt, de quibus suspicatur Bonarrotius, bifrons caput respicere posse urbium peculiare regimen, quae duobus praesidibus gubernarentur. In Romanis caput intectum adparet: in Etruscis uero quodam pileo tegitur, qui etiam, ut in nummo Pembrochiano a Spanhemio allato, in inferiore et extima parte globulis seu gemmis circumornatur, quod pro summae dignitatis ornamento accipit. At enim uero illa sententia aliquid difficultatis habere uidetur, quod antiquissimis temporibus apud Etruscos, uti et apud Graecos, nulla regum et principum, sed Deorum tantum Heroumque capita numismatibus impressa fuerunt. Interdum Etrusci pro ipsis Deorum imaginibus Symbola ipsis propria impresserunt; quod numisma Ikuuinorum seu Eugubinorum, adlatum in Dempsteriano opere Tabul. LIX. num. IV. probat; in quo in altera facie rota radiata, Solis index; in altera Luna silens, et in extimo orbe quatuor astra sculpta conspiciuntur, cum Etrusca Epigraphe, Ikwini, id est, Eugubini. In nummo Tudertium, pro Mercurio sculpta est lyra ἀσιχῆις, et lupus dormiens, quem Etrusci Hirpo dixerunt. Iidem Tudertes, quia Dioscuros uenerati sunt, urbis suae tutelares Deos, binas clauas et manum expansam cesto armatam in numismatibus repraesentarunt. Nec insignia tantum et symbola Deorum; sed ipsa Deorum capita in numismatibus expresserunt. In Tabul. LIV. n. 1. in aereo triente expressum est caput biceps barbatum, ornatum pileo umbellato. In altero, n. 2. eodem modo biceps caput, sed iuuenile et imberbe, non secus ac cernitur in altero asse, edito in eadem Tabula num. 11. Forsitan haec capita Herculis et Mercurii bifrontis imagines repraesentant, siquidem Herculem ponderibus praeesse crediderunt, ut notat Fabrettus 5). Pileus ei tribuitur propter itinera, quod orbem fere uniuersum peragrauit. De Liguria ac Tuscia ab eo emensa testa-

1) Deipnos. L. XV. c. 13.
2) Sidonius Apollinaris carm. II. in princ.
3) Plinius L. XXXIII. c. 3.
4) ad monum. addit. Dempster. §. XXXVIII.
5) inscription. cap. VII. p. 527. 528.

teſtatur Diodorus Siculus, 1). Accedit claua, uirtutis eius inſigne. Ratis etiam ei bene conuenit, quod per mare nauigio uectus, ad multorum urbes adpulerit, et oppreſſos homines a fraudibus iniuſtorum regum liberarit. Ratio uero, cur bifrons ſculptus ſit, ea admodum probabilis eſſe poteſt, quod aequiſſimus utramque partem in contractibus et uenditionibus reſpexerit. Conſtat autem, Mercurium quoque qonderibus Romanos praefeciſſe, quod indicant inſcripti lapides, qui eodem modo, ut Herculi, a Magiſtris uicorum Mercurio quoque, ponderum cuſtodi, 2). mercimoniarum praeſidi, et theſaurorum conſeruatori uigilantiſſimo dicati ſunt, 3). Ob id etiam marſupium nummis refertum ei tribuit uetuſtas., 4). Quod etiam ratis, uel ratis roſtrum, aſſium ſignatorum imagine Mercurii, Herculis et Deae galeatae ſit inſigne, ſuſpicor, negotiationis, commercii et mercaturae eſſe ſymbolum. Tricipitem quoque Mercurium dedicauit uetuſtas, de quo Suidas 5) uidendus; itemque Macrobius, 6). Praeterea ſuſpicio mihi oborta eſt, geminum illud caput an forte indicare poſſit Vertumnum, quem Etruſci inter caetera, praeſertim mercaturae Deum, religioſiſſime uenerati ſunt. Sic Romani quoque, Tuſcorum exemplo, eius ſimulacrum pluribus in locis, ubi negotiatores conuenire ſolebant, poſuerunt. 7) Hinc Vertumnum et Ianum coniunxit Horatius 8); et ad eum Acro, interpres: *Vertumnus et Ianus Dii ſunt, qui praeſunt rebus ementium et uendentium, ante quorum templa erant loca, in quibus cum caeteris rebus etiam libri uenales erant.* Forſitan etiam Tuſci in monetis hac de cauſſa Iani et Vertumni capita coniunxerunt.

Caſtorem et Pollucem ponderum, menſurarum, nummorumque cuſtodes et praeſides ueteres Etruſci crediderunt. Hinc Iuuenalis Caſtorem appellat *uigilem* 9), notatque ueterem conſuetudinem, qua diuites eius templo pecuniam committere ſolebant.

Vetuſtiore aeuo non alia, niſi Deorum capita in monetis ſignata fuiſſe, et alia pondera, quae ad Pelaſgorum et Etruſcorum colonias pertinent, teſtantur. In Numiſmatibus Hadrienſium exhibetur caput Neptuni, ut eſt in Tabul. LV. num. 1. item Apollinis, Tab. LV. ni fallor, ibidem relatum num. 5. Capilli in elegantes tricas implexi, Apollinem coronant, aliudque ex iisdem tricis ſertum ſuperne eius caput amplectitur, quod coronamentum praeſertim in Apolline Graecorum occurrit. 10)

Quod ſequitur num. 9. expreſſa exhibet duo capita Dearum: primum uidetur *Opis*, cui meſſoria falx addita eſt: alterum, ni fallor, *Mineruae*; eo quod agriculturae et artibus, quibus diuitiae parantur augenturque commercia, praeeſſe credebantur.

Quod ad litteras, ſiue epigraphas monetarum attinet, conſtat, Etruſcos ac Pelaſgos in his urbium ſuarum nomina conſignaſſe; declarata urbe uel integro nomine, uel unica ſyllaba, uel etiam initiali tantum, uel duabus aut tribus litteris. Integrum nomen habes in Tabula LIV. num. II ſcriptum *Velatri*: quod certe uel nomen urbis, uel Etruſci populi indicat: forſan *Velitras* apud Volſcos, Tuſcorum coloniam; uel *Velitrenſes*. Aliud urbis uel populi nomen unica priori ſyllaba indicatum occurrit in aſſe adlato in Tab. LIV. num. 3. in quo ſcriptum eſt: *IL*. quod etiam occurrit in tribus aliis apud Dempſterum Tabula LXI. num. II. III. IV. In his ſunt ancora et rana. Probabile admodum eſt, ſpectare ad Ilienſes Sardiniae populos, de quibus Plinius, 11). Sardis, teſte Feſto 12) et

 Plu-

1) Bibl. Hiſtor. L. IV. p. 358. ſq.
2) Fabreti inſcript. c. VI. num. 171.
3) Inſcript. Donian. Cl. I. n. 168.
4) Diodorus Siculus L. V. p. 236.
5) Tom. III. p. 303.
6) Saturnal. L. I. c. 17.
7) Dempſter. de Etrur. Reg. L. I. c. 15.
8) L. I. Epiſtol. ult. u. 1.
9) Satyr. XIV. u. 273.
10) ad inſcription. Donian. Tab. III. p. 43.
11) L. c. 7.
12) L. XVII.

Plutarcho 1) *Lydorum* fuit primaria urbs: inde in haec loca Lydi migrantes, insulae *Sardiniae* nomen dedere. Ex hisce igitur Numismatibus clarius elucet Etruscorum origo.

Vnica littera urbis nomen indicatur apud Dempsterum in Tabul. LIX. num. V. ubi est Aeolicum Digamma, quo nomen *Velatri* indicatur.

Etruscis sunt rariores aerei asses, qui nunc primum in lucem dantur in Tabul. LV. num. 1. 2., 3. 4. 5. qui litteras non Etruscas, sed Pelasgicas *Hat.* i. e. *Hatriates* praeferunt. Litterae a sinistra ad dextram eunt. Has latini a Pelasgis accepere. Nam, ut memorat Plinius, 2) in Latium eas adtulerunt Pelasgi. Numisma, quod in Tabula LV. num. 1. refertur, exhibet caput Neptuni; quia Hatriatum tutelare Numen Neptunus; quod etiam ex nummis insecutis temporibus percussis adparet, praesertim ex eo, qui describitur ab Holstenio. 3) Alia fuit Hatria in Piceno sita, longe diuersa ab Hatria ditionis Venetorum, quae non solum Etruscorum; uerum etiam Pelasgorum fuit colonia: uti testantur haec numismata, quae circa ea loca eruta sunt. De hac plura habet Dempsterus. 4)

Reliquum est, ut notas quasdam Etruscorum addam, quae in his uetustissimis Etruscorum monetis occurrunt. Prior est obelus, ut in pondere, quod praefert talos lusorios. Interdum duo obeli adnotantur, ut uidere est in Tabul. LIV. Postquam obeli forsitan notari desierunt, alia nota ☾, silenti, ut aiunt, lunae simillima usi fuerunt, ut ostendit assis a me productus in Tabul. LIV. num. 10. nec aliter apud Dempsterum; sed notandum utrimque etiam expressam ☽ ☾, cuius rei alia exempla non suppeditant Tabulae Dempsterianae. Notantur etiam globuli siue orbiculi, unus, duo, tres, quatuor, quinque, atque etiam sex. Quid hi significent, exploratum non est. Mos fuit Etruscorum antiquissimus, annorum supputationem ex clauis fixis colligere: id factum a Volsiniensibus in templo Nortiae Deae Etruscae memorat Liuius. 5). Clauus ille quotannis defixus, *annalis* dictus. Festus 6): *Clauus annalis adpellabatur, qui figebatur in parietibus sacrarum aedium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum.* Apud Romanos, qui hanc ab Etruscis numerandi consuetudinem primum accepere, penes praetorem maximum, deinde penes Dictatorem figendi claui munus fuit, teste Liuio. 7). Igitur globuli illi, cum sint clauis longe simillimi, facile indicant annos, quibus monetae fusae sunt; uel etiam saecula: et fortasse ius conflandi monetas iisdem urbibus concessum. Obelus ille singularis, uel duo, idem denotare possunt, Nota uero ☾ seu ☽ forsan centesimum annum designat. Decennium forte significat X, quae nota in maximo pondere adlato in Tabula LIV. num. 6. occurrit: nam X pro *Decem* Pelasgi et Etrusci inter notas numerales usurparunt.

GEMMAE CAELATAE

Artes et inuenta insigniora Etruscorum obseruantur; pro Coronide ARATOR ETRVSCVS.

Artis praestantissimae sculpendi gemmas primordia procul dubio Aegyptiis debentur; Graecis uero eiusdem progressus merito sunt adscribendi. Etrusci sculptores antiquissimi

1) Problem. Rom. c. LIII.
2) Histor. Nat. L. VII. c. 56.
3) in Stephanum p. 9.
4) de Etrur. reg. L. IV. c. 117.
5) Decad. I. L. VII. fere in principio.
6) L. III. u. etiam Scaligerum.
7) Decad. I. L. VII.

simi Aegyptios imitati sunt. Nam quemadmodum illis mos fuit Scarabeos anaglypho opere insculpere; et inferius in planitie eorum saepissime incidere imagines Numinum, quae colebant: ita hi quoque Scarabeos figuris et litteris ornare consueuerunt: quod ex his, quos nunc primum in lucem mittimus, perspicue intelligi potest. Scarabaeorum frontem gemmis ornabant; pectus et brachia Deorum suorum; hos quoque gerebant Deorum cultui addicti sacerdotes; inde uiris de republica bene promeritis in praemium dati: demum pro amuletis ab omnibus aduersus inuidiam gestati fuerunt. Hi Scarabei in serie sculptarum gemmarum, antiquissimae caelaturae primum gradum tenent ordinemque, quamquam hoc gemmarum genus adhuc haud in magno pretio fuit habitum. Insecutis temporibus Graeci sculpturas felici successu perfecerunt; ipsamque sculpendi artem ad summum pulchritudinis et gloriae fastigium euexerunt. In praesenti quasdam Etruscae sculpturae peculiares notas proponam, queis facilius ab aliis dignoscantur. Prima ac praecipua nota est, figura in Scarabeis incisa, quamuis interdum etiam in gemmis, quae ut facilius in annulis aureis inserantur, sectae e Scarabeis, occurrant. Adde litteras Etruscas, quas perpaucae omnium rarissimae praeferunt. Gemmae uel singulari, uel duplici circulo in extrema ora ornantur. Circulus singularis, cancellis perparuis frequentius intersecatur; uel intercurrentibus paruis globulis, ueluti unionibus continuis distinguitur, ut in gemma IV. Tabul. LVI. et in VI. Tabul. LVII. Circulus duplex itidem quibusdam paruis lineis ita distinguitur, ut torquem referat, ut in gemma edita num. IV. Tabul. LVI. quo Etrusci colla Deorum Heroumque saepe ornarunt. His notis accedit suggestum, in quo stant figurae, eo fere modo, ut in gemma I. Tabul. LVI. et in allatis pateris uidemus. In gemmis Etruscis nunquam uidi insculpta Deorum capita, sed integras figuras. Frequentiora aposphragismata sunt, *Iupiter* siue *Neptunus* agitans quadrigam; *Minerua Gradiua* et *Armata*: *Vulcanus* arma fabricans, sedens in sella curuli, quam Etrusci inuenere 1). *Hercules* claua et arcu armatus 2); *Castores* uel equum ducentes; uel equitantes: *Centauri*, clypeo et bipenni uel trunco arboris armati: *Satyri Faunique* saltantes, tibiis canentes, caudati personatique cum barbis prolixioribus, amphoram gestantes, uinumque fundentes: frequentius uero exhibentur Heroes Homerici, Vlysses, Achilles, Aiax, Diomedes, aliique: Athletae uictores cum palma; milites: Salii cum ancilibus saltantes: uiri equitantes nullo freno, more antiquissimo, equos regentes. Post haec occurrunt Diis dedicata animalia, Sphinx, Gryphus, Pegasus. Accedunt monstra fabulosa, Chimaera, Cerberus, Hydra, Achelous pugnans, aliaque animalia, equi, tauri, rana. Veterum Etruscorum gemmae fere omnes adhuc ineditae sunt, quas nunc primum profero.

In Tabul. LVI. num. I. duo ministri Saliorum, de quibus Dionysius Halicarnassensis 3), sex ancilia conto suspensa ferunt. In ueste eius, qui primus incedit, pictus est equus marinus, in altero Gigas, cuius crura in serpentem desinunt; alter Neptuno, alter Ioui, se consecratum indicat. Etrusca epigraphe: *Aputuks*, *Alk se*; i. e. *Ostensio* siue *circumductio Saliaris*: altera uox Graecae adsimilis, ἀπόδειξις: altera ab ἄλλομαι, *salio*.

II. Heroem Homericum repraesentat, forsitan Achillem, uel Hectorem, quos uulneratos ita in bello cecidisse Iliaca tabula apud Fabrettum et Begerum ostendit.

III. Faunus ebrius, barbatus et capillatus, dextra scyphum, sinistra phialam uinariam gerit.

IV. In hac gemma Vlysses et Achilles sculpti uidentur. Vlysses sedens in sella curuli, peculiari pileo, iratum Achillem placat. 4)

V. Hic tres feminae exhibentur, nudo corpore in sella curuli sedentes, quae hastam tenent, uirginum more collectis nodo crinibus. Parcae forsan sunt; sex autem uiri, in gyrum equum agentes sex aetatis hominum gradus indicant; quos praeit Genius.

1) Dempster. de Etrur. Regal. L. II. c. 2.
2) Adde pharetram, ut in Dempster. Tab. VI.
3) Antiqu. Rom. L. II.
4) Iliad. L. VIIII.

VI. In hac figura uirum in terram collapsum adgreditur Sphinx; quae ineluctabile Fatum declarat: cuiusmodi emblema persaepe in ueterum Etruscorum sepulcris occurrit.

TABVLA LVII. num. I. Haec gemma exhibet tres Bacchas, quae saltantes insistunt arulis, manus pectori admouent, breui tunica amictae, cum capite multis cornibus radiato. Hanc uel amuletum, uel uotiuum donarium fuisse arbitror.

II. III. Valde insignis est annulus aureus, inserta gemma, Achati sapphirino insculpta. Figura uel Cererem; uel eius sacerdotem refert. Dextra facem, uel potius aspergillum tenet, sinistra hamulam. Lustralem aquam facesque in his sacris adhibitas, iam supra adnotauimus. Annulos gemmis insignes, cum uiros, tum feminas Etruscas gestasse, exploratum est. Alter annulus litteris Pelasgicis inscriptus est, quae huius sunt sententiae: *Mars tua sit uirga pastoralis*: qua fausta prece donatum auguror hunc anulum strenuo militi in bellum proficiscenti.

IV. Litterae Etruscae indicant, sculptum esse Heroem Achillem, ocreas dextro cruri aptantem, gladio suspenso.

V. In hac gemma cernitur Hercules currenti similis, qui Delphicum tripodem aufert, atque insequenti Apollini necem minitatur. Hanc Herculis cum Apolline, ob raptum tripodem, pugnam Iupiter fulmine diremit, ut prodit Apollodorus, 1). Quomodo tripodem Delphicum expresserint Etrusci, ex hac rarissima gemma conspici potest.

VI. Haec gemma, quam possedit Marcus Tuscher, egregius Pictor et Architectus, ciuis noster, unum e nautis Tyrrhenis, de quibus supra egimus, Bacchi numine circa Naxum in Delphinum conuersum, repraesentat. Occasionem huius fabulae de Tyrsenis in Delphinos conuersis explicat Bochartus, 2). Etrusci pariter atque Romani Delphinum, ferale sepulcrorum emblema elegerunt, quia hoc animal hominum dicitur amantissimum, Fatique et Mortis symbolum olim habitum, 3). Quamuis quidem nulla annulorum apud Homerum mentio occurrat: usum tamen eorum esse uetustissimum, uel sacra Hebraeorum historia perspicue testatur, 4). Romani quoque usum annulorum ab Etruscis acceperunt; eosque in digitis laeuae manus gestarunt, cuius moris rationes docet Macrobius, 5). Cum autem nulla harum gemmarum nomen sculptoris praeferat, facile intelligitur, artifices eiusmodi gemmis sua nomina haud insculpsisse. Hinc inter celebres Tuscos lithographos, nullum praeter Mnesarchum, Pythagorae patrem nouimus, quem Aristoxenus Tyrrhenum fuisse genere memorat. 6)

Quam insignes denique artifices in Plastice, Pictura, Sculptura et Architectura fuerint Etrusci, ex allatis in hoc Museo operibus satis superque potest cognosci; eruditissimeque probauit Bonarrotius. De aliis insignioribus Etruscorum inuentis disserit Thomas Dempsterus in praestantissimo libro de Etruria regali, cuius saepe in hoc Museo facta est mentio. Nos quoque in hoc opere, quae ad omnem Deorum peculiarem cultum, ad arma Heroum militumque, ad insignia, uestes et ornamenta Pontificum, Sacerdotum, Regum Ducumque spectant, non pauca ad singula in Tabulis C C allata monumenta adnotauimus. In arte aeris conflandi merito admiratione digni sunt Etrusci Artifices, qui statuas intus uacuas et inanes fecerunt; easque fulgenti auro superfuso induxerunt, ut adhuc pulcherrima exempla luculenter declarant.

Coro-

1) L. 2. c. 6. §. 2.
2) Geographiae S. L. I. c. 33.
3) Deipnos. L. XIII. c. 8.
4) Genes. c. XLI. u. 42. et alibi.
5) Saturnal. L. VII. c. 13.
6) Apud Porphyrium in vita Pythagorae.

Coronidis loco in postrema Tabula LVII. *Aratorem Etruscum* exhibemus. Prospectus perrari huius symplegmatis ab ea parte sumendus est, unde motus initium habet: unde etiam aurigae in ludis Circensibus, et aratores in arvis, ut hodie fit, desumebant et auspicabantur. Tusco more, jugo simul iuncti boues, dextra taurus, laeua uacca. Etrusci aratri et stiuae formam, ex hoc schemate cognoscere licet. Arator exhibetur pannosus, crassioribus calceis indutus, uultu rusticali et inculto. Pileum gerit umbellatum ad arcendas aestus et aeris iniurias. Prope eum adstat nudis pedibus femina, quae cum gerat in capite mitellam, uestemque clauis, tamquam gemmis distinctam, procul dubio Dea est, agricolarum praeses, ac recte Ceres, haberi potest, de qua canit Virgilius 1). Cum uero hoc perrarum monumentum sit inuentum Arretii, uerisimile uidetur, Arretinos uoti compotes, sublata aruorum sterilitate ob redditam agrorum fœcunditatem, hoc pulcherrimum anathema in Cereris templo posuisse at- que dedicasse.



APPEN-

APPENDIX MUSEI ETRUSCI,

EXHIBENS ORTHIUM CARMEN LAMENTABILE ETRUSCORUM ANTIQUORUM IN TABULA EUGUBINA ETRUSCIS LITTERIS SCRIPTA EXPRESSUM,

nunc primum interpretatum, notisque illuſtratum labore et ſtudio

ANTONII FRANCISCI GORII

in Lycaeo Florentino Hiſtoriarum Profeſſoris publici.

CAP. I.

Quo literae Etruſcae ad ordinem alphabeti explicantur.

TABULAE EUGUBINAE, quae in publico Eugubinorum tabulario adſervantur, omnium monumentorum, quotquot ad hoc tempus extant, ſunt antiquiſſimae. Hae ſunt ſeptem: duae Pelasgicis, quinque Etruſcis litteris, diverſa quidem manu ac diverſo ſtylo, ſcriptae. His ſi addatur illa perbrevis quidem votiva tabula, quae incipit *Lerpirior*, à Sponio edita 1), quae Romae extare dicitur, à qua tamen removendae ſunt figurae Apollinis et Clatrae eidem haud coaevae; nec non altera à reliquis diverſa, quae incipit *Claverniur*, erunt novem; quarum quatuor ad veteres Pelasgos et quinque ad Etruſcos pertinent.

Hae tabulae Eugubii, ſive, ut veteres dixere, Iguvii, Umbrorum urbe nobiliſſima anno 1444. prope theatrum in ſubterranea quadam concameratione inventae ſunt. Ab illo ſtatim tempore, quo inſcriptiones hae innotuere, mirum in modum deſudarunt viri eruditi in illuſtranda priſca Etruſcorum lingua ac concinnandis alphabetis, ſed irrito quidem labore. Noſtro vero tempore primus omnium ampliſſimus ſenator Bonarrotius Alphabetum meliori modo digeſſit, non tamen omnes difficultates ſuperavit. Poſthaec autem Ludovicus Bourguettius edito alphabeto veterum Etruſcorum, interpretatis compluribus Etruſcis inſcriptionibus, edita etiam interpretatione tabulae Eugubinae, Pelasgicis litteris iisdem prorſus ac latinis ſcriptae, quae incipit, *Eſte. Perſclo.* Feliciore ſtudio rem paene totam reſtituit, ac Etruſcorum litteras figura et poteſtate diverſas, 24. eſſe oſtendit. Horum Duumvirum veſtigiis inſiſtens,

ſiſtens, quum totam fere Etruriam perluſtraſſem, inſcriptiones omnes ipſe exſcripſi, ac detectis non paucis erroribus Alphabetum Etruſcum conſtruxi, ſexdecim tantum literis compoſitum. Cum enim viderem, Etruſcas litteras vel parum vel nihil differre à litteris Phoeniciis ſive Cadmeis, quas ipſi etiam Graeci à Cadmo Phoenice acceperunt, nec differre etiam à primaevo ſcribendi genere tum Orientalium tum Graecorum à dextra ſiniſtrorſum; idcirco, quemadmodum ab Etruſcis ſervatas videbam graecarum litterarum priſcas figuras et ſiniſtrorſum ſcribendi uſum antiquiſſimum, cenſui etiam ſervatum eundem litterarum numerum, et primo quidem ſimplicium, quae duodecim ſunt, deinde quatuor duplicium ſeu compoſitarum, ac proinde comperi, Etruſcos, Graecorum vetuſtiſſimorum exemplo, has XVI. litteras praecipue habuiſſe:

1	A.	A. A. A. A. A. A. A. A. A	A.
2	Ǝ.	Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. E. E. Ɛ.	E.
3	I.	I. I. I.	I.
4	K.	K. K. K. K. Ↄ. K. <. d. ♀.	K.
5	√.	√. √. √. √. √. √. √. √. V. L. Λ.	L.
6	M.	M. M. M. M. M. M. M.	M.
7	И.	И. И. И. И. И. И.	N.
8	1.	1. 1. 1. 1. Γ. Γ. Γ.	P.
9	q. d.	◁. ▽. ◁. ◁. q. q. d. ▷. D. P.	R.
10	Ƨ.	Ƨ Ƨ Ƨ S S S Z Z Z Z 3	S.
11	+.	+. +. Y. Ͱ. +. +. +.	T.
12	√. Y.	V. Y. V. V. Y. Ↄ. Ↄ. Ↄ. ɟ. ʔ. ʔ. ^. Y. ɟ. d.	V.
13	⊙.	⊙. ○. ◇. ◇. ⊙. ⊗. ⊖. *addita, duplex.*	TH.
14	ǂ.	ǂ. *addita, duplex ſeu compoſita, Graecis eſt.* Ξ	XS.
15	8.	○. 8. 8. ◇. 8. 8. 8. φ *add. compoſita Graec.* Φ	PH. F.
16	V.	V. *addita, duplex ſeu compoſita, Graecis eſt.* X	CH.
	⊟.	⊟ *adſpirata, auxiliaria, ſuperaddita.*	H.

Etruſcorum antiquorum Litterae. *Pelaſgorum et Latinorum Litterae.*

Quum autem constet, vetustissimos Ausones sive Aruncos, Arcades, Pelasgos, Oenotrios et Tyrrhenos esse Graecorum colonos ac primos in Italiam venisse; novas sibi sedes quaerentes, 2), minime vereor adfirmare, Tyrrhenos, quos Latini Etruscos dixere, non nisi à priscis graecis Phoeniciis litterarum elementa accepisse, proinde Etruscam linguam origine sua esse graecam, nec ab ea nisi dialecto diversam: cujus dialectus, sicut varietatem habuit apud Atticos, Jones, Dores, Aeoles; ita etiam varia tum dicendi tum scribendi proprietas apud Etruscos fuit, et quidem alia in interiore, alia in exteriore Etruria, quod etiam Bonarrotius adnotavit. 3). Variata quoque fuit Etruscae linguae dialectus diversis vocum desinentiis et quadem sensim introducta primigeniorum vocum corruptione aut alteratione, ob saepius ab Etruscis mutatas quaesitasque sedes per varias orbis nationes, nec non per inita cum multis populis foedera atque commercia. Profecto ope graecae linguae hanc confeci Etruscae tabulae interpretationem, agendoque expertus sum, auspice graeca lingua omnes Etruscas inscriptiones ità interpretari posse. Idem adfirmo de antiquissimis Pelasgorum inscriptis tabulis. Omnium primi Pelasgi in Latium litteras, ut memorat Plinius 4), et scribendi rationem à dextra sinistrorsum invexere. Eorum litterae haud prorsus à graecis diversae, iisdemque latinae omnino similes sunt. Notandum tamen, et has litteras Pelasgos habuisse er Latinis tradidisse, nimerum B. C. D. G. O. Q. His carent Etrusci, sed earum loco P. K. T. U. utuntur. Illis addatur littera H. auxiliaria et aspirata, in usu frequentius apud Pelasgos, minus tamen frequenter apud Etruscos.

Quemadmodum vero constat ex eodem Plinio 5) aliisque auctoribus, graecorum vetustissimo alphabeto postmodum additas fuisse aliquot litteras à Palamede et Simonide, ita etiam Etruscorum Alphabeto primogenio, insecutis temporibus, additas fuisse litteras duplices et compositas suspicor. Plinius id accidisse tradit Trojani belli tempore; sed duabus ferme aetatibus ante Trojanum bellum ab Etruscis usurpatas indicant tabulae apud Eugubinos adservatae, quae ⊙. ✱. et 8. habent.

Itaque Origo litterarum Etruscarum à graecis, quibus admodum similes sunt, sequenti modo patebit.

I. A. Alpha Graecorum sive A. Latinorum ita à Tuscis scribitur, A. A. A. Quod haec littera A sonet, ipsa Etruscorum Deorum Heroumque propria nomina juxta eorum imagines scripta evincunt. Minervae nomen quater scriptum est in pateris sacrificalibus apud Dempsterum in tab. II. IV. V. et VI. allatis, hoc modo : [Etruscan letters] : [Etruscan letters] : [Etruscan letters] : [Etruscan letters]. Nimirum Menrva; Menerva; in quibus omnibus A eodem modo scripta occurrit, quamvis in singulis variet figura quatuor litterarum. Similiter legitur Apollinis nomen in duobus pateris scriptum, et quidem in tab. III. à dextra ad sinistram hoc modo: [Etruscan letters] : Apulu. In tab. IV. vero ita: [Etruscan letters], hoc est Apul, inverso Lambda, quod etiam non raro fecisse Tuscos in scribendis reliquis litteris, liquet ex compluribus inscriptionibus. His addendum Castoris nomen ita scriptum in patera tab. VII. [Etruscan letters] id est Kastur.

* B. Beta deest in antiquissimo Etruscorum Alphabeto, quemadmodum etiam defuit in Alphabeto Graecorum vetustissimo, cujus loco Tusci P vel etiam consonanti V uti potuerunt.

* Γ. Gamma quoque deest in alphabeto Etrusco. Cujus loco arbitror usos esse ⋊ Kappa, idque conjicio praesertim ex asse Etrusco apud Dempsterum tab. LIX. Num. IV. in quo scri-

ſcriptum eſt ꟾ ꓘ ꟾ ⊃ V ꓘ ꟾ hoc eſt, Jkuvini, pro Jgubini, ſive ut hodie dicitur, Eugubini. Adſimile ſaepe occurrit in tabulis Eugubinis tum Etruſce tum Latine ſcriptis ꓯ ꓘ ꟾ ⊃ V ꓘ ꟾ ꟾ ꟼ ꓶ ꓯ Y V ⅄. tutaper Jkuvina, hoc eſt, per totam juventutem. Veteres quoque Latini C pro G uſi ſunt, dixeruntque Maceſtratos, Cartacinienſis, Cerens, Cocnatos, erco, pro Magiſtratus, Carthaginienſis, gerens, cognatos, ergo, ut in columna roſtrata.

* D quoque deſideratur in Tuſcorum Alphabeto. Loco D, ut reor, uſi ſunt ⅄, nempe T. In compluribus nummis ſcriptum eſt ꓱ ꓷ ꓱ ⅄ V ⅄ nempe Tutere, quae vox Tutertum ſive Tudertum ſignificare creditur. Ita etiam factum à Pelaſgis videmus in tabulis Eugubinis et in aſſibus, in quibus ſcriptum HAT. nempe Hatria, pro Hadria. Priſci quoque Latini *aput* et *ſet*, pro *apud* et *ſed*, aliaque hujusmodi ſcripſerunt.

II. E. In ſcribendo hac littera nihil fere differunt Tuſci à Graecis, quod ex inſcriptione Sigea et Deliaca perſpicuum eſt, quamvis modo erectam, modo inclinatam, cruraque tridentis vel recta vel obliqua, in hunc modum faciant, ꓱ. ꓱ. ꟽ. ꓱ. ꓱ. Quod vero haec littera ſit Epſilon Graecorum et Latinorum E. manifeſte apparet tum ex nomine Minervae ſupra allato, tum ex nomine Herculis, quod apud Dempſterum tab. II. et VI. ita bis ſcriptum in pateris occurrit: ꓱ V ⊃ ꓷ ꓱ ⊟ et ⊟ ꓱ D K O ⅃ E, id eſt, Herkle. Alia etiam ſuppetunt exempla ex tab. VII. ubi juxta caput Meleagri ſcriptum eſt ꓱ ꓷ ꓘ ꓯ V ꓱ ꟽ Melakre; juxta caput Pollucis, ꓱ ꓘ V ⅄ V V ʌ, Pultuke; prope imaginem Menelai ꓱ V ꟽ ꓱ ꟽ. Menle. In tab. XCI. ſupra imagines Pelei et Thetidis ſcriptum eſt ꓱ V ꓱ ꓶ. ꙅ ꟾ O ꓱ O. hoc eſt, *Pele*, *Thethis*, pro Peleus, Thetis.

* Z non reperitur inter Etruſcos Characteres. Plinius additam graeco Alphabeto à Simonide Melico adfirmat, poſt Trojanum bellum, 9); Tuſcis ST eundem ſonum Z reddidit.

III. ⊟. Hoc charactere loco aſpiratae H uſi ſunt Etruſci, ut colligimus ex Herculis nomine juxta ejus imaginem ſcripto ac ſupra ex tab. II. et VI. Dempſteri allato.

IV. ⊙. O. Utroque modo cum et ſine puncto in centro ſcripta invenitur in priſca Tuſcorum ſcriptura. Inter quatuor litteras à Palamede adjectas Graecorum Alphabeto à Plinio 7) recenſetur θ, quae etiam apud Etruſcos valet Th. Hujus poteſtatis exemplum ſuppeditat patera Etruſca penes Dempſterum tab. XCI. in qua ſupra imaginem Thetidis ſcriptum eſt ꙅ ꟾ O ꓱ O. hoc eſt Thethis. In baſi ſimulacrorum, quae Junonem et Venerem, ſeu potius Nortiam Deam exhibent, ſcriptum eſt ꓯ ꓘ ꓯ O, hoc eſt Thana, videlicet Dea, Diva, Graecis θέαινα. Credo vero hanc litteram utramque et T. et Th. apud Etruſcos et Pelaſgos promiſcue habuiſſe poteſtatem. Legitur enim in Eugubina tabula, quae eſt prima in Dempſteriano opere, in linea 20. V ⊙ ꟾ ⊃ V Y ꓷ V ꓶ id eſt, purtuvitu; et in linea 22. pro ⊙ ponitur Y, ita: V Y ꟾ ⊃ V Y ꓷ V ꓶ. Igitur O. ⊙ pro T et Th. ſcribuntur, et eadem littera frequenter praecedit et conjuncta cum ⅄ id eſt T cernitur. Saepe etiam multa verba in ⊙ et ⅄ deſinunt.

V. I. Non dubitandum eſt Etruſcos hanc litteram ita, ut Graecos Jota, et ut Latinos I. ſcripſiſſe, nulla variatione aut mutatione facta. Id liquet ex ſupra allato nomine ꙅ ꟾ O ꓱ O, Thetis. Patet quoque ex nomine Junonis nempe ꙅ ꟾ ꓷ ꓱ, *Eris*, quod legitur in patera relata in tab. II. Dempſteri operis, quia Juno apud Graecos Ἥρα, *Hera* vocatur. Occurrit etiam I. in nomine aeternitatis ſeu Nemeſis, ut videre eſt in eadem patera, ita inſcriptum, ꙅ ꟾ O ꓱ, Etis, unde Latinis *aetas*. Praetereo Etruſca nomina Jovis

et Bacchi, ΑΝΙΘ, *Tina*, ΑΙΝΙΘ *Tinia*, hoc eſt, *tonans*, vel *fulminator* à graeco *τινάσσω*, *concutio*, *jaculo*.

VII. Ↄ habetur pro K. Kappa. In pronunciatione ſonum habuit C. Latinorum, idque argui poteſt ex nominibus Herculis, Caſtoris et Pollucis, quae ſculpta ſunt prope eorum imagines in pateris. Figura hujus litterae primaeva eſt Ↄ; ſed videtur interdum variaſſe figuram, vel ornatus gratia, vel quia interdum > > diverſo ſono vel leni vel aſpero pronunciari debet. Cum deeſt haſta, formatur ita,), >, quod adparet in nomine Herculis bis ſcripto in tab. II. et VI. apud Dempſterum, priore in loco ƎVϽϹƎ日, ſecundo retrogradis litteris 日E Ͻ K O Ⅴ E, ideoque ex Ͻ. >. ſine haſta C Latini fecerunt. Loco G hanc litteram adhibitam, ſuperius adnotavi. Umbris quoque K pro C et G, inſervit.

VII. V ita Etruſci Graecorum Lambda exararunt; inverſa Λ graeci forma. Erectum crus Etruſci V, per planum Latini L extenderunt. Quod igitur valeat L, manifeſtum eſt ex nominibus Herculis, Apollinis, Meleagri, Menelai et Pelei, quae in pateris, apud Dempſterum jam indicatis, leguntur. Aliquando hujus litterae crus V adeo eminet, ut V referre videatur, ut in patera apud Dempſterum tab. IV. quare diligentia adhibenda eſt in diſtinguendo V ab V, quum maxima inter utramque figuram non raro intercedat ſimilitudo. Saepe etiam adverſa facie ſcribitur hoc modo V.

VIII. M eſt M. quod diverſimode quidem figuratur ita M. M. M. M. M. ſemper tamen habet ſonum M, uti apud Graecos et Latinos. Id perſpicuum eſt ex nominibus Deorum inſcriptis juxta eorum imagines, ut Minervae, Menelai et Maleagri in tab. II. IV. V. et VI. apud Dempſterum. Interdum etiam inverſa figura ſcriptum occurrit, hoc modo, W.

IX. N eſt N. Quater in nomine Minervae, ſemel in Menelai occurrit. Interdum linea in medio, quae duas haſtas jungit, vel ab imo, vel a medio vel ſuperne adſurgit, hoc modo, N. N. N. N. ſemper tamen eſt N, nec ſonum variat.

* O carent Etruſci, cujus loco uſi ſunt V, quod factum videmus in nominibus Apollinis, Caſtoris et Pollucis, quae cum V ſcribuntur nimirum VVV7A. *Apulu*, et VV7A. *Apul*. Item ϽV+ƎAↃ, *Kaſtur*, et ƎↃV+VV7, *Pultuke* hoc eſt *Pollux*. Jurantes dicebant *Aedepol*, per aedem Pollucis; Foeminae vero *Ecaſtor*, vel *Aedecaſtor*.

X. 7. eſt Π Graecorum. Quod Etruſci hac litera 7. 7. 7. 7. capite modo angulari, modo rotundo, modo magis vel minus inclinato pro P uſi ſint, liquet ex nominibus Apollinis et Pollucis modo memoratis, ac ex nomine Pelei, ƎVƎ7. Pele, in tab. XCI. apud Dempſterum. Hinc Latini priſci ſuum P. efformaſſe videntur, poſtea crus in ſemicirculum ductum efformavit P. In Sigaeo lapide Graecorum Π ita effictum 7. Γ. videmus.

XI. ◁. Ϲ. q. Eſt R. idque apparet ex nomine Junonis, quae ab Etruſcis ƧIϹƎ, Eris dicta eſt, nec non ex nominibus Herculis, Minervae, Caſtoris et Meleagri, ſcilicet ƎVϽϹƎ日, Hercle; ϽV+ƎAↃ Kaſtur; ƎϹↃAVƎM. Melakre. Haec littera interdum inverſa occurrit. Liquet igitur Etruſcos ſcripſiſſe ▽ quaſi D Latinorum inverſum. Saepe etiam eadem littera caudata occurrit cum triangulo et ſemicirculo hoc modo, 4. q. aliquando etiam ita Я ſculpta eſt, ut R Latinorum inverſo ſimilis ſit. Veteres enim Romani R pro D uſurparunt et ſcripſerunt *arfuiſſe* pro *adfuiſſe*;

arvor-

arvorsum pro *adversum*; *arvorsarius* pro *adversarius*; *arvocatus*, *arfines*, *arvolare*, pro *advocatus*, *adfines*, *advolare*; *meridies*, pro *medius dies*; *fedetrio*, pro *feretrio*; hinc ab *auris* factum est *audio*. 8).

XII. Ƨ est S, quae vel imitatur Graecorum inversum Sigma, Σ, vel S Romanorum, qui a Tuscis hanc quoque litteram accepisse videntur. Interdum ita efformata est, ut Z referat. Nonnunquam etiam Ss. geminatur. Quod vero ab Etruscis pro S sit adhibita, indicant nomina ᗡV ᛉƷA𐌊, Kastur; Ƨ I O⊣O, Thetis, aliaque exempla.

XIIII. In hunc modum ᛣ. ᛡ. +. Y. ⊦. ⊣, sculptum est Etruscorum T, cujus potestatem indicant sequentia nomina, ᗡVᛉƷA𐌊, Kastur, seu Castor; ƎꓘVᛡVV⅂, Pultuke, Pollux; ƎᗡƎY.Vᛡ, Tutere, seu Tudertum. ᗡV YᗡƎ8ꟼA, arfertur. V Y I ƎꓷꟼA, arveitu. Pro Δ Delta Graecorum seu D Latinorum inservisse videtur Umbris, Pelasgis et Etruscis.

XIIII. V est V vocalis. Interdum alterum crus parum adsurgit, hoc modo V. ⊬. vel in medio hastae adsurgit, at non valde dispescitur, ne cum T confundatur, in hunc modum, y. Y. vel alterum cornu aequat, V. Sonus ejus liquet ex nominibus A⋀V⊬V, Apulu, et ⊬V⅂A, Apul, ᗡVᛉƷA𐌊, Kastur, et ƎꓘYᛡVV⅂, Pultuke, hoc est, Apollo, Castor, Pollux, aliisque. Interdum inversa figura ⊬ exhibetur.

At Consonans V. aliter et quidem dupliciter scribitur; in hunc modum: ꟻ. ꟻ. ꟻ. ⅃. ⅃. ⋀. quasi geminum V inversum contineat. Deinde ita exaratur: ꓷ. ꓷ. ꓷ. ꓷ. vel etiam inversum ⊏, et ⅃. Semper autem ita pronunciari debet, ut aspero sono F Latinorum quodammodo retineat. Hujus literae potestatem ostendit nomen Minerva inscriptum pateris adlatis apud Dempster. tab. II. IV. V. et VI. in quibus V variis schematibus figuratur: Aꓷ◁ƎꟻƎM : AꟻᗡƎꟻƎM : AꟻᐊИƎM: AꟻᗡИƎM. Menerva. Menrva. In tabula Eugubina, quae est II. apud Dempsterum, v. 21. legitur: ƎᗡYA⅂ ƎꓷVI, hoc est *Juve patre*, quod exponitur *Jovis pater*; et vers. 23. 28. et 29. AИIꓷVII ⊂Ǝ⅂AYVY, tutaper iiuvina id est, totam per juventutem. Quare manifestum est, ꟻ. ⊣. ⅃. et ꓷ aliasque literas his similes ejusdemque classis, esse V Consonans.

XV. Huic adfinis est littera 8 et 8. quae composita videtur ex duplici V V. quorum alterum si cum altero conjungatur et intersecetur hoc modo ⊖ ≙, sonum asperum duplo majorem reddit, ut φ Phi Graecorum et Latinorum F exprimat. Germanis quoque inferioribus W sonat F. In tabula III. Eugubina apud Dempsterum v 6. scriptum est VƎᗡꓘAƧ, sakreu; in IV. vero vers. 65. 8ƎᗡꓘAƧ, sakref. Huc referendae videntur litterae 8 et 8, quae tamen rarissime occurrunt.

XVII. Notae d et ϙ videntur esse K, et eaedem cum ꓘ. nam in tab. I. apud Dempsterum in v. 26. et 24. legitur ƎdIꟼ⅂V⅂. puprike, per d, et in v. 10. 11. 12. 13. 27. et 35. ƎꓘIᗡ⅂V⅂. puprike per ꓘ, hoc est publice. Hanc litteram Etrusci, ut arbitror, à Phoeniciis desumserunt; nam interdum in eorum monumentis occurrit O inferius caudata hoc modo ϙ. Q. De quo Matthaeus Aegyptius 9) censet, Q Latinorum (idem de ϙ. Q. Etruscorum adfirmo) esse Phoenicium ϙ Koph, jamdiu pro K usurpatum. Interdum etiam V denotare videtur, si circulus d claudatur.

XVII. Nota ⚹ videtur referre duplicem XX, quae potestate et sono exprimere videtur Ξ Graecorum. Patet hoc in tab. CXCVIII. n. IV. ex gemma, cui nomen Ulyssis hunc in modum inscriptum est, ∃⚹VΛV, Uluxxe. Eadem littera aliter etiam ab Etruscis scripta occurrit in gemma edita n. 1. ejusdem tab. 198. et composita ex duabus litteris S et C. hoc modo ʂ, ut exprimat CS. nimirum Ξ Ksi Graecorum.

XVIII. Littera Ѱ est duplex et composita et refert Graecorum litteram X á Palamede additam adeoque sonat Ch. idque patet ex nomine Achillis, quod in tab. 198. ita in gemma exaratum legitur: ∃V∃VA hoc est Achele.

Supersunt ↑·T· et Ψ, quorum prior duplex P esse poterit; et posterior potest referre Ψ Psi Graecorum, vel duplicem litteram VV vel LL, vel etiam V et L. sed haec nondum satis explorata sunt. Saepe etiam Etrusci litteras inter se commutant, ut M cum N, J. cum 8.

Ex his perspicuum est Etruscas litteras graecis admodum similes esse, si earum figura invertatur et conferatur cum litteris Sigei lapidis, praesertim in illis versibus, qui à dextro ad sinistrum latus ducti sunt. Quod vero saepius variet Etruscarum litterarum figura, id elegantiae et varietati scriptionis tribuendum esse censeo.

Scripta sunt haec monumenta Etruscorum et Pelasgorum in tabulis aereis tum majoribus litteris, modo fere uncialibus, modo semiuncialibus, qui usus scribendi in laminis aereis vel plumbeis fuit antiquissimus.

1) Miscell. erudit. antiquitatis. Sect. 3. n. 33. p. 87.
2) Vid. Theodor. Rykii differt. de primis Italiae Colonis. cap. 6.
3) Ad Monumenta addita Dempst. operi §. 46. p. 101, et 107.
4) Hist. Nat. L. 7. c. 56.
5) Ibid. cit. loc.
6) Lib. 7. c. 56.
7) Ibid.
8) Lactant. cap. 7. de opificio Dei.
9) in Explicat. S. C. Bachanal. p. 157.

Cap. II.

exhibens antigraphum Tabulae Eugubinae cum sequente versione.

Hactenus de Etruscorum litteris, quibus explicatis sequitur nunc ipsa Tabula Eugubina, cujus antigraphum ex archetypo desumptum Etruscis characteribus exaratum et 35. versibus comprehensum seqenti modo exhibetur, ut cognitis jam literis scripturae lectio cuivis patere possit.

ANTIGRA-

Verſio haec eſt:

Eſtote filii percuſſi ſimul. Incendite 'nunc impoſitas urnas, odoramentorum remedium, fuga exitii extremi late diffuſi. Pandite guttur viri, qui adeſtis. A fratre oſtenſus ignis fratribus, ſparſus eſt. Pueri, pandite guttur valide. Puerae, adſtantes ſacris, clamate gutture. Matres omnes ter cantu majore ululate in ſacris. Clamate virae omnes, fratrum inauſpicata. Ululate filiae, diſſipata clamantes arva, everſa. Deſolatum far nimia ariditate, uredine ſacrum; clamate. Speciosi proventus deſiderati in arvis: Speciosa camporum vaſtata ſunt: Foetus ſpecioſi duplo, extremo exitio ſubverſi ſunt: clamate gutturibus, everſi ſunt. Clamate, aeſtu optima ſubverſa ſunt: proventus ſubverſi ſunt: arbores feraces ſubverſae ſunt plus annis tribus: exuſtione extincti proventus, alterati jam tribus annis: extinctae arbores feraces, fumantes, per annos extinctae: ululate, fugatae ſunt: extemplo abiere fructus annui pingues: perſiccata ſunt dona, fugit far: ararum everſa ſunt ſacra tua neceſſaria, Summe Jovis pater, exitium depelle: dexter, tua ſerva: per fratres ſacerdotes; per patres adparentes ſacris, totam per juventam, alumnam per juventam pruduc tua neceſſaria alimenta: Ululate, clamate, tua neceſſaria, ſumme paſtor publice, depulſor: produc tuam neceſſariam nardum. Heu diſperſum officium vide per fratres ſacerdotes, per patres adparentes ſacris, totam per juventam, alumnam per juventam ſacram. Vivifica armentorum foetus, deſolatos arvorum foetus: clamate. Adſpira, matura foetus, conſolida: tuos pauperes penuria laborantes intuere: ſolida, profer frumenti copiam: Syrium ſubtrahe à foetibus: epulas offeremus trementes: omnes tuos pauperes intuere: averte, averte luem, paſtor publice.

Cap. III.

exhibens praemiſſae tabulae Eugubinianae per ſubjectas notas explicationem.

Orthii Carminis lamentabilis Etruſcorum antiquorum interpretatio adjectis notis illuſtrata.

Narrat Dionyſius Halicarnaſſeus 1), veteres Pelasgos ac proinde etiam Etruſcos, qui Italiam occuparunt, junctique ac ſimul intermixti fuere, duabus ferme aetatibus ante Trojanum bellum adverſo numine ſive deorum ira ita vexatos, ut maximam perpeſſi ſint calamitatem. Exitium intulit terra, penuria imbrium aeſtuque exhauſta, quum nec in arboribus fructus matureſcerent, ſed crudi caderent ob nimiam ſiccitatem: neque ſemina, ſi quae germinaſſent, ſpicae legitimum maturitatis tempus explerent, fontibus, pabulis, paſcuis, foetibus pecorum ubique deſolatis ac poene extinctis ob nimiam ariditatem. Mulieres gravidae aut abortum ejiciebant aut exſpirabant in partu. Id ipſum argumentum continent tum Pelasgicae tabulae, tum haec ipſa Etruſca, et forte etiam aliae, quae apud Eugubinos extant, quare manifeſtum eſt, duabus fere aetatibus ante bellum Trojanum exaratas eſſe.

Hujus tabulae Etruſcae interpretationi titulum feci *Orthium* carmen lamentabile, quia in tabula Pelasgica a Bourguettio explicata nuncupatur orthium v. 26. 36. 46. quod hujus Carminis numeri quam altiſſima et intentiſſima voce ferrentur; ὄρθιον enim graeci dicunt, quod arduum eſt et quam altiſſima voce elevatum. 2). Poſſunt etiam inſcribi *Litaniae*,

quia

quia preces ad Jovem cum ejulatu et lamentis altissima voce prolatis continent: nec non Threni dici possent; quia lamentationes, ploratus et ululationes continent Etruriae populorum, qui fame, siti, ob nimiam terrae siccitatem, omnibus terrae fructibus pessumdatis, misere vexati, palantes languebant et peribant.

Carmen voco, quia aliquam metri et rythmi speciem praeferre aurium judicio videtur et versus non semper aequales id suadent. Stylus est simplex, vehemens etiam, figuris et dicendi vi crebrisque repetitionibus amplificatum. Nunquam *et*, *atque*, *ac*, copulae occurrunt, quod sane maximae antiquitatis indicium. Deorum cognomina mira vi et proprietate expressa sunt. Ex his tum Etruscis tum Pelasgicis tabulis observare etiam possumus latinae linguae incunabula, quae non solum graecae linguae, verum etiam Pelasgicae et Etruscae ortum suum et augmentum debet, adeo ut horum quoque idiomatum dialectus censeri debeat.

Ad Etruscos haec tabula ideo pertinet, quia Characteres sunt Etrusci plane, à dextra sinistrorsum scripti, acillis inscriptis monumentis omnino respondent, quae in interiore Etruria inventa sunt. Scriptura in 35. versus distincta est, quorum pronunciatio et verbalis interpretatio sic se habet:

Vers. 1. ESUNU: FUIA: THERTER: SUME:
Estote *filii* *percussi* *simul.*

ESUNU: à graeco εἰμὶ, *sum.* Veteres Latini *essum*, ἔσο, ἔσοισθε, Dorice ἐσεῦνται, *erunt.* Etrusci carent o, pro quo u utuntur. Vide Festum in voce *orcus.* Pelasgi vero et Osci o habuerunt: igitur ESUNU contractum videtur ab ἔσοιντο, *sunto.* Latini veteres, Festo teste, usi sunt S. pro R; facile ergo ESUNU quasi *erunu*, *erunt.* In tabula Pelasgica, quam primus omnium vertit Bourguettius, occurrit ESONA, ESONO, ESONIER, *sunt*, *sint*, *erunt.* Facile etiam est, primum versum esse veluti titulum hujus *Carminis Orthii*, quo breviter, quid à populo simul congregato agendum esset in publicis precibus, jubebatur et edicebatur. Nec est sine ratione conjectura; nam altera ex tabulis Eugubinis Pelasgice scripta, incipit ESUC, FRATER. ATIIERIUR, docteque conjicit Hannibal de Abbatibus Oliverius, significare *Edictum fratrum Pontificum*, quasi hic sit titulus totius tabulae.

FUIA. gr. υἱός, *filius*; quia cum spiritu aspero pronunciatur, ideo Etrusci praeponunt F; vel etiam est φὺς, *filius*; inde, ἀπφὺς, *pater*: a verbo φύω, *nascor.* Verbum *fio* dixere *fuo* veteres Latini. Infra linea 11. scriptum est VIA, *fia*: nos dicimus *foia*, luxuriam et generandi libidinem. Qui aderant à Pontifice maximo convocati, *filii* vocantur; quod etiam frequens in divinis libris. *Filii Israel*, *coetus filiorum Israel*, Lev. 1. 2. Loquere filiis Israel

THERTER. gr. τερέω, τείρω, *vulnero*, *percutio.* In tabula Pelasgica apud Dempsterum VI. v. 45. et 13. scriptum TERTIAME, TERTIU, *vulnerati.* Pelasgi et Etrusci trium annorum spatio plagas maximas acceperant, quae deinceps numerantur.

SUME. gr. σὺν, *simul.* Commutatur et apud graecos in compositione υ cum μ. Veteres Latini dixere *sumitu*, *simitu*, et *simitur*, ut in antiquo lapide, Inscript. ant. Etrur. Urb. Par. 1. p. 420. n. 274. postea *simul.* Plautus frequenter, *simitu*; vide et Nonium Marcellinum.

VSTI-

v. 2. VSTITE: SEST: ENTASIARV:
incendite *nunc* *impositas*

VSTITE: *incendite*, quasi *ustitate*: videtur hinc Latinos fecisse *ustulare*, frequentativum ab *uro*; hinc *ustrinum*, de quo vide Festum. Hinc ortum nomen VESTAE, Graecis Εςία, *ignis*; nam in ejus honorem ignis perpetuo accensus custodiebatur à Vestalibus. Forsitan etiam à gr. καίω, *incendo*; καῦσις, *ustio*. ἐγκαυςικη, *genus picturae adhibito igne*. Putabam etiam VSTITE esse à gr. ἵστημι, *adsum*, *adsisto*, *sto*, quod in sacris faciundis solemne; sed potius placuit *incendite*, propter ea, quae sequuntur.

SEST: à gr. σεύω, *incitate feror*, *propero*. Galli rustici dicunt *sest*, quod valet *modo*, *nunc*.

ENTASIARU: à gr. ενίθημι, *impono*.

v. 3. VRNASIARU: THVNT: AK: VUKE: PRUMU: PETATU:
urnas *odoramentorum* *remedium* *fuga* *extremi* *diffusi*

VRNASIARU: *urnas*; hinc Latinis urna, quod manifestum est. Apud Dempster. in Etrusca inscriptione sepulcri tab. LXVII. n. 1. legitur ΑVϘϒΕ1 ΜΑИИΜϤVΟ hoc est Thurmnam petrua, i. e. urnam petream.

THUNT: gr. θύος, *odoramentum*, *suffitus*, *suffimentum*. Hinc quoque liquet, Etruscos suffitus adolevisse in honorem Deorum, ut eos muneribus et sacris placarent. Servius ad Lib. II. Aeneid. v. 784. *Tusci à frequentia sacrificii dicti sunt*, hoc est ἀπὸ τȣ̃ θύειν, à *suffiendo*. vide Plinium L. III. c. 5. et fusius Dempster. de Etrur. Reg. L. I. c. 2.

AK: gr. ἄκος, *medela*, *sanitas*, *remedium*. Sola munera ac dona Deos placant.

VUKE: duplex V asperum sonum ita efficit, ut F exprimat. gr. φυγή, *fuga*. Etrusci pro G. quam non habebant, K utebantur. Nos hodie dicimus *voga*, *remedium et fuga*. Nunquam in his tabulis Etrusce scriptis, nec in reliquis exaratis litteris Pelasgicis, copula *Et* adhibita occurrit, vel alia hujusmodi, quod maximae antiquitatis indicium.

PRUMU: duae postremae litterae ita inter se cohaerent, ut facile possint etiam referre MNU, id est PRUMNU, gr. πρυμνος; *extremus*, *ultimus*, maximae calamitates *extremae* dicuntur; qua phrasi etiam nos Tusci patrio sermone dicimus, *divenuto all' estremo*.

PETATU: à gr. πετάω, *expando*, *diffundo*, *extendo*. sensus est, suffitus Jovi oblati unice avertere possunt exitium seu calamitatem hanc extremam universalem.

v. 4. INUK: VTHTURU: URTES: EUNTIS:
dilatate *guttur* *viri* *adstantes*.

INUK. à gr. ἰνάω, *dilato*, *pando*, *effundo*.

VTHURU: *guttur* hinc Latinos accepisse perspicuum est. Frequens adspiratae usus apud veteres Tuscos. Ps. 113. 7. *non clamabunt in gutture suo*. Hos. c. 8. v. 1. *in gutture tuo sit tuba*. Jer. c. 25. 34 *ululate pastores et clamate*. Et c. 48. 20. *confusus est Moab*, *quoniam victus est*: *ululate et clamate*, *annunciate in Arnon*, *quoniam vastata est Moab*. Ezech. c. 30. 1. *ululate*, *vae*, *vae diei*. Adsimile quid in hac tabula; nam frequenter Pontifex universo coetui clamorem, ejulatum et vociferationes indicit. Ita Christianus

mus populus in Litaniis majoribus, ad singulas Sacerdotum vel Praecentorum preces, ad Deum clamat; *Libera nos Domine*: vel *Te rogamus*, *audi nos*. Ethnici magnis vocibus ad Deos clamabant, eosque idcirco bene auritos effingebant.

URTES: *viri*, hinc, ut liquet, Latinis *vir*, *virtus*, cujus nominis causam exponit Isidorus L. XI. c. II. *vir* dictus à *Vivis*, a graeco ἴς, quod idem notat: hoc ab haebraeo Isf, *Vir*, Issa, vira. Ita Latini *virum* a *vi*, Graeci contra *vim* à *viro* dixerunt. vid Voss. Etymolog. In tabula Pelasgica scriptum VEIRO, VIRO, *viri*, *virorum*.

EUNTIS: ab ἐιμι, *vos qui adestis*. Id etiam facile dictum, quia gravissimis urgentibus calamitatibus hortari mos priscus erat, *viri estote*. In divinis libris: *viriliter agite*, *confortetur cor vestrum*. Apud Homerum, Ἄνερες ἔςε φίλοι. EUNTIS igitur vel est ab ἐιμι, *sum*, vel ab ἵστημι, *adsto*.

v. 5.	FRATER:	VSTENTUTA:	PURE:
	Frater	*ostentato*	*igne*

FRATER: ab Etruscis et Pelasgis transiit ad Latinos haec vox *frater*, valde frequens in hisce tabulis Eugubinis. Est ab aeolico φράτηρ. pro φράτωρ. Pontifex maximus suos Collegas sacerdotes adpellat *fratres*, qui, ut arbitror, fuere *fratres Arvales*, hac forsitan imminente calamitate instituti ab Etruscis ac Pelasgis. Varro Lib. 4. de Ling. lat. eos *fratres* adpellatos ait a *ferendo*, quia sacra faciunt, ut *arva ferant fruges*. Vossius tamen id non probat. Veteres primi Christiani propter mutuam caritatem et sacrorum communionem, fratres se vocabant, de qua adpellatione Tertullianus Apolog. c. 39.

USTENTUTA: *ostentato*, vel etiam, si hoc non placet, accenso, ut arbitror, ex eodem ut supra vers. 2. *ustite*. Vocales saepius commutantur, infra ASTINTU, ASTENTU. Melius videtur *ostentato*; nam *ostentare* vox solemnis in sacra Etruscorum disciplina, teste Macrobio Saturnal. L. II. c. 16. L. III. c. 7. qui meminit *ostentarii arborei*, et *ostentarii Tarquitii* Etrusci, seu potius Tarquinii. Pro o ab Etruscis u adhibitum jam adnotavimus.

PURE: *igne*. gr. πῦρ, πυρὸς, *ignis*; Phryges quoque *ignem* dixere *pyr*; nam Phrygia lingua est graeca, singulari dialecto et vocum diversa inflexione ab aliis distincta. Plato in Cratylo loquens de voce πῦρ, quae ignem significat, ita de hac re: *Certum est*, *Phryges*, *ut significent ignem*, *aquam*, *canes et res multas alias*, *uti vocabulis nil abeuntibus à graecis*, *quum ignem vocant pyr*, *aquam hydor*, *canes vero kynus*. *Eadem voce* PUR usi Pelasgi ex tab. VI. v. 16. apud Dempst.

v. 6.	FRATRU:	MERSUS:	FUST:
	Fratribus	*dispersus*	*fuit*.

FRATRU: videtur numeri multitudinis, vel *Fratrum* vel potius *Fratribus*. Ostenta dicuntur, quia ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt aliquid aut praeter naturam rerum evenire aut imminere, ut ex Tullio Lib. I. Divinat. colligimus. Soli autem fratres, nimirum ex sacro collegio homines, ignem sacrum inspicere et ostendere poterant. Seneca in Hippolyto.

Cum monstra cessant, aula cur fratris vacat,
Prodigia toties orbis insueta audiet:
Natura toties legibus cedet suis.

Rationem inauspicati eventus, ostenso igne fratribus, mox subjungit.

MER-

MERSUS: FUST: *divisus fuit*, à gr. μερίζω, *divido*, *in partes discindo*. Ex igne malum omen desumebant veteres Etrusci, si flamma accensi ignis in varias partes scinderetur: bonum vero, si in altum uno apice, non vero dissipato, adsurgeret: quod faustum omen placatae Numinis irae inter exsilii aerumnas optabat Ovidius de Ponto L. IV. Eleg. 9. Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara; Detque bonum voto lucidus omen apex. Igitur Pontifex, ut universum coetum filiorum Etruscorum, qui convenerant, commoveat et ad fundendas preces Deumque placandum excitet, testatur, ignem sacrum à fratre fratribus arvalibus ostensum, in partes divisum, mala ominatum esse. In alia tabula Eugubina Pelasgice scripta, quam vertit Bourguettius, vers. 55. scriptum: Mersest. i. e. divisus est.

v. 7. KUMNAKLE:	INUK:	VTHTUR:	VAPERE:	
Pueri	*dilatate*	*guttur*	*valide*.	

KUMNAKLE: idem in sequenti versu, *pueri*, *nati*, gr. κῦμα, κύημα, *foetus*, κύω, in utero gesto; υἱός, filius, quasi κυός, à κυέω, *pario*, ut notat Schrevelius. Hinc forsitan Latinos, haud servata syncope, fecisse puto *cunacula*, *cunnabula*, aliaque similia, *pinnacula*, *miracula*, *obstacula*. Galli, ut Etrusci, dicunt *miracle*, *obstacle*. Virgilius dixit, *oraclum*, Aeneid. L. 3. v. 143.

INUK: VTHTUR: ut supra vers. 4.

VAPERE, vel KAPERE; nam prima littera ℶ, ut in nomine Herculis tab. II. apud Dempst. sonat K et F. pro varia functione, quasi KABERE; nam pro B Etrusci P usurpant. Hinc *Dii Cabiri*, id est, *Dii potentes*, ut Varro et Tertullianus explicant. vid. Bochart. Geograph. sacra L. I. c. 12. Nos *valide* interpretati sumus, hoc est *potenter*. *Clamate voce majore*, ajebat Elias irridens Cultores Baal, clamantes de mane usque ad meridiem: *Baal exaudi nos*, Reg. 3. c. 18. Hortantur etiam divini Prophetae: *clamate in coelum*, id est voce maxima. In alia tabula Pelasgice scripta frequenter occurrit, *ocre fisiu*: et *ocriper fisiu*: clamate, perclamate; ut id facerent, Pontifex hortabatur. In eadem tabula vers. 19. HABITU: redditur *valido*.

v. 8. KUMNAKLE:	SISTU:	SAKRE:	VVEM:	VTHTUR.
Puerae	*adeste*	*sacris*.	*clamate*	*gutture*.

SISTU: Superius in vers. 2. SEST: addita in principio per prosthesin S. gr. ἵστημι, *adeste propere*, vel ut dixere Latini, *favete sacris*; quae vox in sacris solemnis.

SAKRE: haec vox Etrusca ad Latinos transiit. gr. ἱερεύς, *sacri*, qui sacris operantur.

VVEM: *clamate*. gr. εὐφωνέω vel φωνεω, *vocifero*. Alterum *V* post *V* ita scriptum ab Etruscis ℶ, cum aspero sono ita pronunciabatur, ut F quodammodo exprimeret; quod etiam nunc Germani observant in W pronunciatione.

VTHTUR: ut supra vers. 4. et 7. Ovidius 3. metam. 15. *Plenis tumuerunt guttura venis*.

v. 9. TEITV:	PVNTES:	TERKANTUR:	INUMEK:	SAKRE
Matres	*omnes*	*ter cantu (majore)*	*ululate (in)*	*sacris*.

TEITV: *matres*, *nutrices*, gr. τιθή, τιθήνη, *nutrix*, τίτθος, mamma: nos vernaculo sermone dicimus, *tetta*. th. τίκτω, *pario*, *gigno*. Pontifex maximus gradatim et cum ordine primum compellat viros, deinde pureos, postmodum matres, deinceps *virgines puellas*.

PUNTES: *omnes*, *universae*. Liquet esse à gr. πᾶς, πανἶες, a cum u commutato.

TERKANTUR: *cantu ter majore*: quia Etrusci ac Pelasgi per annos tres summas calamitates, rerumque omnium, quae victui necessariae sunt, perpessi fuerant summam caritatem. Hujusmodi voces, *ter*, *tris*, *tupler*, *tuplak*, *tripler*, haud raro occurrunt in tabulis Eugubinis, in usu tum apud Etruscos, tum apud Pelasgos. KANTUR: Saepe Etruscis vocibus in fine additur R. quod et veteres Lacedaemones fecerunt. Hinc Latinis *cantus*, quam vocem Petrus Nunnesius arbitratur esse ἀπὸ τ̃ χαίνειν, id est *hiare*. Quod vero rejicit Vossius in Etymol. qui potius eam deducit ex Haebraeorum ac Poenorum lingua. Latini hanc vocem ab Etruscis accepisse videntur. Hinc *Canenae*, postea *Camenae*, Casmenae, ex Etruscis cognitae Romanis jam a principio urbis. In tabula Pelasgica vers. 14. *Prokanurent*, *procanant*. Verti etiam potest *ter peremtae*, à ter et καίνω, *perimo*, *occido*, *per annos tres percussae et adflictae*.

INUMEK: videtur *in* adhibitum ab Etruscis ad augendam vocabuli vim, quod etiam nonnunquam Latini fecerunt, v. g. *infringo*, *invalesco*, *inclytus*. Igitur *Inumek*, ut puto, est ab οἰμώζω, *ejulo*, *ploro*; οἰμωγή, *ejulatus*, *ploratus*, *quasi perejulate*, *perplorate*. Etruscis *V* est O et K est *V*. Nos Etrusci patrio sermone dicimus lamentationes et ejulatus, *omei*, gr. ὤμοι, *heu mihi*

10.	VVEM:	VRTAS:	PUNTES:	FRATRUM:	VPETVTA:
	clamate	*virae*	*omnes*	*fratrum*	*inauspicata.*

VVEM: idem significat ut supra in vers. 8

VRTAS: *virae*. h. e. *foeminae*. Latini veteres, Etruscorum exemplo, feminas quas nunc ita dicimus, viras appellarunt; nec immerito ut observat Scaliger ad hunc Festi locum. *Querquetulanae virae putantur significari Nymphae praesidentes querqueto virescenti*: et mox: *sed feminas antiqui viras adpellabant*, *unde adhuc permanet* virgines et Viragines. VRTES: *viri*. nam á viro *virtus*, quasi *viritus*.

PVNTES: ut supra in v. 8.

VPETVTA: *inauspicata*. Forsitan *V* in principio vocis idem valet ac οὐ, *non*, apud Graecos. PETUTA à πέτάω, *volare*. Ex avium volatu, (quas, si opportune praevolarent, secunda praesagientes, *praepetes*, si vero adversa, *inbibras* dicebant) Haruspices et Augures bona et mala praesentiebant. De his Festus in voce *praepetes*, quae ab Etrusca PETUTA, absque negativa, originem habere videtur. Memorantur in alia tabula Eugubina litteris Pelasgicis iisdem ac Latinis scripta, quam interpretatus est Bourguetius, aves male ominosae, *coturnix*, *cornix*, *pica et picus*, quae fulguritae seu tactae fulmine, vel disscissae, Augurum ac Fratrum monitu, siccitatem aliasque calamitates maximas portenderunt; quae calamitates in eadem tabula, ut in hac, ab universo coetu inclamante deflentur. Pro re igitur verti inauspicata.

11.	INUMEK:	VIA:	MERS:	VVA:	ARUMEN:	ETUTA:
	Ululate	*filiae*	*dispersa*	*clamantes*	*arva*	*eversa.*

INUMEK: ut supra vers. 9.

VIA: quemadmodum in primo versu FUJA, *filii*, ita heic VIA, *filiae*, ut arbitror, significat. *V* primum quasi F pronunciatur. Viget adhuc haec vox apud Venetos, qui filium,, *fio* filiam, *fia* vocant.

MERS: ut supra vers. 6. MERSUS à μερίζω.

VVA: *clamantes*; participium videtur ex VVEM, ut diximus supra vers. 8. à gr. φωνέω.

Arva-

ARVAMEN: *arva*, quam vocem Latinos ab Etrufcis accepiffe, hinc intelligimus.

ETUTA: everfa. Forfitan a πίπτω, *cado*, quae peffum iere; vel à τύπτω, *verbero*. Nos dicimus *le Campagne abbatute*, *malridotte*, *andate giù*.

12. ERAK:	PIR:	PERSKLU:	VRETU:	SAKRE:	VVEM:
defolatum	*far*	*ariditate*	*uredine*	*facrum*	*clamate*

ERAK: ab ἐρημόω, *vafto*, *defertum reddo*, *in folitudinem redigo*. *p.* ἠρήμωκα, defolatae funt. Hinc *eremus*, locus defertus, defolatus.

PIR: diverfum à PURE, ut fupra in verf. 5. PIR, gr. πυρός, *triticum*, *frumentum*.

PERSKLU: compofitum vocabulum ex PER, loco adverbii *valde*, *multum*, quod conjunctum auget vim ejus rei quae fignificatur; adeo ut hinc fufpicari poffimus, Latinos accepiffe ab Etrufcis et Pelasgis exempla componendi voces. Igitur SCLU facile eft à σκέω, σκέλλω, σκλῆμι, *durus fum prae nimia ariditate*, per fyncopen pro σκελέω, *exficco*. In primo tabulae Eugubinae verfu fcriptae litteris Pelasgicis legitur ESTE PERSKLO. Bourguettius interpretatur: *iftud augurium*; forfitan melius *iftud ficcitatis* fcil. *augurium* ac *indicium*, *aves* fulguritae, *coturnix*, *cornix*, *pica* etc.

VRETU: Etrufci, quum D careant, T ejus loco utuntur, adeo ut *uretu* fit pro *uredu*. Hinc Latinis *uredo*, morbus herbarum, fruticum arborumque, vide Palladium cap. 37. Plin. L. 18. c. 28. qui morbus et lues à nobis dicitur *ruggine*.

SAKRE: ut fupra verf. 8.

VVEM: ita etiam in verf. 10. quod in luctuofis calamitatibus fiebat apud Etrufcos et Pelasgos, clamante et ululante populo, interjectis clamoribus ad fingulos clamores et preces, quae ad Deos fundebantur a Pontifice maximo. Id etiam fiebat et in luctu et in laetitiae canticis et pro gratiarum actione penes Hebraeos. Leguntur Pfalmi à Davide compofiti cum intercalaribus, ficuti Pfal. 135. *Confitemini Domino*, *quoniam bonus*; ad fingulas intonationes accinente populo; *quoniam in aeternum mifericordia ejus*. Item Jeremiae c. 49. et in Cantico trium puerorum, Dan. c. 2.

13. KLETRA:	FERTUTA:	AITUTA:	ARVEN:	KLETRAM:
Speciofi	*proventus*	*defiderati*	*in arvis*,	*fpeciofa*

KLETRA: *fpeciofi*. gr. κλυτός, *inclytus*, *illuftris*. Ita quoque in divinis paginis optima quaeque camporum *fpeciofa* vocantur. Pfal. 64. 13. *Pinguefcent fpeciofa deferti*, Item Jerem. c. 11. 16. KLATRA, Ifidis feu Dianae aut Lunae cognomen, cujus templum fuit in VI. urbis regione, quod Dea fit illuftris; quae etiam in vetuftis aris *frugifera* vocatur.

FERTUTA: *proventus*, quae fert tellus, à φέρω. Noftra ufitata vox cum Etrufca bene confonat, *il portato*; de frugibus, *le raccolte*.

AITUTA, ab αἰτέω; *peto*, *rogo*; quod vero petitur ac poftulatur, valde defideratur.

ARVEN: fupra verf. 11. ARVAMEN, ut videtur, ex eo contractum, commutato M in N. Videmus ex hoc aliisque exemplis, Etrufcos voces contrahere folitos, uti in nominibus Deorum, *Minervae et Herculis*, diccmus. Id etiam factum a Latinis, Ofcorum ac Graecorum, nec non Etrufcorum exemplo, ut notat Tommafinus de Donar. c. 7. p. 66.

KLETRAM: *fpeciofa*, ut fupra diximus.

14. AMPARITV: ERVK: ESUNU: FVTV: KLETRE: TUPLAK:
camporum vastata sunt. foetus speciosi duplo.

AMPARITU: Etrusci P pro B usi sunt, quasi *Ambaritu*, contractum ex *ambarvitu*; hoc est, *per ambitum campi.* Ambarvale sacrum non dubito ab Etruscis manasse ad Romanos; in quo ambarvalis hostia ita dicebatur, quod per ambitum arvorum duceretur in lustratione agrorum, quae quotannis fiebat: ac deinde immolabatur pro annuis frugibus recipiendis. Nos quoque sacerdotes Domini, statis Rogationum diebus agros et fruges lustramus. Id apud Etruscos et Romanos faciebant XII. Arvales: iidem procul dubio, qui in his tabulis *fratres* appellantur. Nam Romulus, Etruscorum exemplo, XII. instituit, teste Plutarcho in ejus vita. Gell. L. 6. c. 7. Macrob. L. 1. Saturn. Varro de lingu. lat. L. 4. Plin. L. 18. c. 2. Hoc sacrum ambarvale eleganter describit Tibullus L. 2. Eleg. 1. atque ita incipit:

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros;
Ritus ut à prisco traditus extat avo.

ERUK: superius v. 12. scriptum ERAK ab ἐρημόω, *vasto*, vel etiam ab ἔῤῥιγω, *horreo*, *inhorresco.* Nam pro Γ usurpatur K ab Etruscis, à Pelasgis vero G.

FVTV: unde Latinis *foetus*, infra FEITU. Puto hanc vocem notare *uberem proventum*, qui non solum ex agris; verum etiam ex armentis eorumque foeturis provenit. De foetu arborum, pecudum, apum etc. sexcenta apud Latinos exempla occurrunt.

KLETRE: ut supra in vers. 13.

TUPLAK: pro Δ seu D, invaluit T apud Etruscos, ut supra. *Tuplak* à gr. διπλοῦς, διπλάσιος, duplo major.

15. PRVMUM: ANTENTV: INUK: VTTHUERA: ENTENTV:
malo extremo subversi. clamate gutturibus eversi.

PRUMUM: superius in vers. 3. PRUMU.

ANTENTU: ab ἀντάω, *contra eo*, quae in deterius eunt.

INUK: VTTHUR: Studiosissimos variae scripturae et lectionis fuisse Etruscos hinc colligimus; quod elegantiae causa fecisse haud est verisimile. Id tamen potius factum puto, quia hanc tabulam suspicor continere *Carmen lamentabile*, et metro ac rythmo quodam compositos esse versus; nam eaedem voces frequenter et protrahuntur et contrahuntur, quod metri causa fieri solet. Perspicuum etiam est ex hac voce ΑϘƎdʘ⅄d, utthuera, litteram d esse V. quod nunc primum observare contigit.

16. INUK: KAVI: FERIME: ANTENTU: ISUNT: FERETHTRV:
clamate exustione optima subversa sunt proventus

KAVI: à gr. καίω, *uro*, καῦσις, *exustio*, καῦμα, *aestus*, *incendium.* Hebraeis כוה, *cava* est *exurere*, ut graecis καύειν, et כויה; *Kevija*, *exustio.*

FERIME: *optima quaeque*; id est, quae fert tellus ad alendam vitam bona. gr. φέριστος, *optimus.* Propheta Haggaeus idem exprimit, describens immissam à deo sterilitatem in populum Judaeorum c. 1. v. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli, ne darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum. Et vocavi siccitatem super terram et super montes et super triticum et super vinum et super oleum, et quaecunque profert humus, et super homines et super jumenta et super omnem laborem manuum; adeo ut coelum aheneum fuisse dicatur.

Antentv:

ANTENTV: ut supra vers. 15. idem ac ENTENTU.

ISUNT: interdum etiam ESUNT. ESUNU. ESUNE. Latinorum vetustissimi fecere verbum *sum*, *essum*, ex hoc Etrusco.

FERETHTRV: à φέρω, quae fert optima tellus: hoc est, *reditus, proventus*; eo quod singulis annis, ferente terra redeant et proveniant; nos *le raccolte*, *le rendite*. Juppiter, ut hinc colligitur, Etrusca voce *Feretrius* á Romanis adpellatus est, quod arma et optima spolia ab hostibus capta, ad eum victores in ferculo ferrent, atque in ejus templo suspenderent et statuerunt, quod Romulus fecit, teste Livio.

17. ANTENTV:	ISUNT:	SV:	FERAKLV:	ANTENTV:	SEPLES:
subversi	*sunt*	*arbores*	*feraces*	*subversa*	*sunt plus*

ANTENTU: Isunt: ut antea vers. 15. et 16.

SV: gr. ὕλη, *arbores alimentariae*, *ligna fructifera*. Latini ex hac voce Etrusca dixere SULVA, *silva*. vide etiam adnotata in vol. II. hujus operis p. 314.

SE, arbitror esse à verbo εἰμὶ. In vers. 19. infra pro SE est SV.

PLES. gr. πλεῖον, poetice πλέυν, à πολὺς, unde Latini *plus*, Etrusci *ples*.

18. ATHESNES:	TRIS:	KAVI:	ASTINTV:	FERETHTRV:	ETRES:	TRIS:
annos	*tres*	*exustione*	*extincti*	*proventus*	*alterati*	*tres*

ATHESNES: Addunt vocibus Etrusci in fine, ut in hac, NES, in aliis MEN, vel etiam, ut vidimus, in principio. ATHES, gr. ἔθος, annus. Circa imaginem mulieris, Herculem apotheosi donantis, ut in patera Etrusca apud Dempsterum tab. II. scriptum est ꟻ | O ∃ *Ethis*, quasi aetas designetur, sive *aevum*, *aeternitas*:

TRIS: gr. τρεῖς. Utrum sit melius scribere ac dicere tris, an tres, Gellius disquirit, L. 13. c. 20. Ex Etruscis exemplum veteres Latini desumsisse videmus, qui scripsere *tris*.

KAVI: Eadem vox supra in vers. 16.

ASTINTU: congruit cum hac vox latina *exstincti*. Nos quoque Tusci patrio sermone dicimus *estinto*, et *stinto* apud vetustiores Scriptores et maxime Poetas. Arbitror *astintu* illos deduxisse ab ἵσταμαι, *sto*, ἵστημι, *statuo*: quae autem stant, eadem etiam vigent, florent, vita motuque valent; et praeposuisse negativam A, et ut auribus consulerent, vel elegantiae causa ?, post A subjecere, et etiam aliquando N, ASTINTU, ANSTINTU, ut nostri majores dixere *acciso*, et *anciso*, *pro ucciso*. Igitur *Astintu* valet quasi *non stantes*, adeoque deleti, extincti, i. e. *proventus*, *reditus*.

FERETHTRV: idem ac supra vers. 16.

ETRES: In tabula Eugubina VI. apud Dempsterum vers. 38. et 41. scriptum est Pelasgice ETRU. Bourguettius vertit *alterati*, ab ἑτερόω, *altero*.

19. ATHESNES:	ASTINTV:	SV FERAKLV:	TVVES:	ATHESNES:
annos	*extinctae*	*arbores feraces*	*fumantes*	*(per) annos*

ATHESNES: ut supra v. 18.

SV FERAKLV: ut supra vers. 17.

Tuves: quia ב ita efferebant aspero sono, ut F, ut puto, à τύφω, *inflammo*, *fumum edo.* Arbores fructiferae adeo aestu inflammatae erant, ut fumum quodammodo edere viderentur. Potest etiam esse à τύπτω, p. τέτυφα, *percutio.*

Athesnes: *annos*, indefinite longum tempus significat.

20. Anstintu: Inenek: Vukumen: Esunumen: Etu: AP
extinctae ululate fugatae sunt tempore ab illo

Anstintu: ut supra v. 19. Inenek: hic variat: superius vers. 8. et 11. Inumek:

Vukumen: Esunumen: *fugatae sunt.* φυγή, fuga ut in 3. versu. *Men*, additum in desinentia: nos patrio sermone dicimus, *sono sparite via.*

Etu: AP: hoc est, *ab etu.* gr. ἔτος, annus; tempus definitum pro indefinito. porro, *tempore ab*, pro *à tempore.*

21. Vuku: Kukethes: Jepi: Persklumar: Karitu: Vuke: Pir:
fugerunt fructus annui pingues. persiccata (sunt) dona. fugit far.

Vuku: *fugerunt* à φεύγω.

Kuk, gr. κοῦκι, *fructus arboris*, quasi à κίκυς, *robur.* Ab Etrusca hac voce, vel etiam à graeca originem habere videtur *cuccagna*, ut nos dicimus, pro copia omnium rerum. Hinc etiam nos dicimus *cocco.* Ethes: in versu 20. Etu; numeri multitudinis *Ethes*, *annui*, nos, *delle stagioni.*

Jepi: ut opinor, *pingues*, πίων, *pinguis.* Ex hac voce Etrusca forsitan Latinis *adeps.*

Persklumar. in fine additum mar. idem valet ac superius vers. 12. PERSKLU; a σκλέω, *induresco prae nimia ariditate.*

Karitu. gr. χάρισμα, *donum*, quo quis gratificatur. Nos Tusci dicimus *carità*, quod valet donum et id quod donatur. Quae bona Deus facit, eademquae bona quae in sacris Deo offeruntur, *dona* dicuntur: *de tuis donis ac datis.* Donum dei habes apud Q. Curtium L. 7. c. X. 14. χαριστήρια, *dona*, *munera*, *vota.* Galli *dare* dicunt donner.

Vuke: Pir, ut supra vers. 12.

22. Ase: Antentu: Sakre: Sevakne: Vipetu: Juve Patre
arae eversae sunt sacrae. tua necessaria summe Jovis pater

Ase: *Fatum*: *Sors.* gr. αἶσα, *Parca*, ita quoque dicta, quia ἀεὶ ἴση, *semper aequalis*; eadem ac *mors*, *quae aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.* Ase Etrusca vox, potest etiam esse composita ex A negativo, et ἴσος, quasi *inaequalis*, quod non agat aequo jure *fatum*, *sors*, *fortuna*, quae nonnunquam bonis adversatur, malis favet, ut Ethnici putarunt. Fatum Etrusci post Jovem ponebant. vid. Serv. in Virgil. L. 8. v. 398, Aesar, Etruscorum lingua, ita *Deus* vocabatur. vid. Sueton in August. c. 97. Aesi, Αἴσοι, Dii. Hesychius: Αἴσοι θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν. At vero commutato S in R, Ase valet Are hoc est Arae, ideoque ase antentu Sakre verti potest: *arae subversae sunt sacrae*; nimirum deficientibus primitiis frugum, farre exusto ob nimiam siccitatem, Jovi Patri sacra rite et consuetis donis puris ac incontaminatis, consuetisque oblationibus, fieri non poterant: quod dicit Pontifex, ut Juppiter ad misericordiam magis excitetur.

Sakre:

SAKRE: cohaeret forsitan potius cum ASE, atque eodem sensu, ut apud Poetas passim arae *sacrae* vocantur.

SEVAKNE: vox ex duabus composita, vel ita dispescenda SEV AKNE. Est SEV idem ac σεῦ, Dorice σοῦ, *tui*, à σός, *tuus*. AKNE, gr. ἀνάγκη, et Dorice ἀνάγκα. Est etiam *Necessitas* Jovis filia, cujus filiae sunt Parcae, de qua Plato in X. de Rep. Sed propter ea, quae sequuntur, non puto hanc indicari: neque etiam à gr. ἀγκή, *brachium*, quasi Fatum dicatur Jovis brachium, quo omnia temperat et moderatur.

VPETV. Jovis cognomen apud Etruscos, à gr. ὕπατος, *summus*, contracte ἀπὸ τοῦ ὑπέρτατος, penes quem summa est potestas; atque ita a graecis vocati Romanorum Consules.

JVVEPATRE: Hinc Latinis *Jupiter*, hoc est *Jovis Pater*; ut Diespiter, *lucis pater*; Marspiter; *Mars pater*. Gellius N. A. L. V. c. 12. Jovem *Latini veteres a juvando adpellavere, eundemque alio vocabulo juncto, patrem dixere; nam quod est in elisis aut immutatis quibusdam litteris JUPITER, id plenum atque integrum est JOVISPATER.* Etrusci absque interpunctione scribunt [Etruscan letters] *Juvepatre*, hoc est *Jovis pater*, Vid. etiam Varronem de Ling. lat. L. 7. gr. Ζεύς, Διός, vocativus ὦ Ζεῦ.

23. PRVMU: AMPENTV: TESTRV: SESFASA: FRATRUSPER:
calamitatem averte, dexter tua serva per Fratres

PRVMV: ut supra vers. 3. et 15.

AMPENTV: Per syncopem à gr. ἀποπέμπω. Hesichio ἀποπόμπειν, procurare seu depellere prodigia, aut quicquid nociturum putatur. Erant ἀποπόμπαι stati dies, quibus sacrificabatur Diis, qui ἐπιπομπαῖοι vocabantur. Latini hos Deos dixere Averruncos, quorum Etruscae imagines habitu Propugnatorum et Defensorum vibrantium hastas, supra allatae sunt. Varro de Ling. lat. VI. 5. *Avertendo averruncare; ut Deus, qui meis rebus praest*, Averruncus. *Itaque ab eo precari solent, ut pericula avertat.* Gellius Noct. Att. L. V. c. 12. *In istis autem Diis, quos placari oportet, uti mala à nobis vel afrugibus natis amoveantur*, Arungus *quoque habetur* et Robigus. Hercules ἀπομυῖος dictus, quia muscas arcere credebatur. Vide Clementem in Protreptic. Eodem epitheto insignitus etiam Jupiter. Vide Pausaniam in Eliac prior. c. 14. Sed ut arbitror, AMPENTU, facile ut fit, litteris commutatis, est idem ut supra ANTENTU.

TESTRV: *dexter*; nam Etrusci T utuntur pro D. vel etiam *dextra tua*. Dexterae Dei auxilia et bona tribuuntur in divinis litteris. Dextra Etrusci paciscebantur et feriebant foedera: ita etiam nuptiae celebrabantur: dextris datis junctisque hospites excipiebantur, quia fidei sacra dextra habebatur. Dextra Dii Etruscorum pateras tenent; quia dextra salutaris est, in auxilium hominum parata; ideoque per dexteram Deos orabant rogabantque. Denique dexter idem valet ac *propitius, favens, beneficus.* Virgil. Aeneid. L. 8. v. 61. *Et nos et tua, dexter adi pede sacra secundo.*

SE, ut vers. 22. in SEVAKNE, *tua.* Scasa, à gr. σάω, σαώζω, σώζω, *servo, sospitor, salutem & incolumitatem do.* Jovis cognomen *Sospitator*: item apud graecos σωτήρ, *Servator.*

FRATRUSPER: id est *per fratres.* transpositum *per* tum ab Etruscis, tum à Pelasgis frequenter observatur.

24. ATITERIES: ATHTISPER: EIKVASATIS: TUTAPE: JIUVINA:
Sacerdotes *per Patres* *adparentes* *totam per* *Juventutem*

ATITERIES: gr. Ἱερέες. In tabula Eugubina Pelasgice scripta legitur ATIIERIUR. Bourguettius interpretatur *Pontificum.* Etrusci vero praeponunt *ATit* et Pelasgi ATI, ideo, quia T pro D utuntur; igitur ATIT, est pro *adid*, hoc est, adit; hinc *adytus*, gr. ἄδυτον, Latinis *adytum*, locus templi secretior, ad quem nonnisi Sacerdoti dabatur accessus, et interdum *penetrale dicitur.* Virgilius Aeneid. L. 2. v. 60. *aeternumque adytis effert penetralibus ignem.* Igitur ATITERIES, sacerdotes et *templi Pontifices* esse videntur.

ATHTISPER. Si postremam *per* praeponas, erit PERATHTIS. gr. ἄττα, *pater*; ita seniores à junioribus vocantur; id est *per patres*, qui forsitan senatum constituebant. Centum elegit Romulus forsitan Etruscorum exemplo, quos Patres vocavit; et hi majorum et minorum gentium fuere. Igitur duplicem forte ordinem memorat, *sacrum et politicum.*

EIKVASATIS: In duo dividendo, EIK, εἰκώς, aequaliter, et *Vasatis*, ex gr. φαίνω, *adpareo.*

TVTAPE: JIVVINA: In tabula Eugubina Pelasgica, ut et heic, saepe TOTAPER JIOVINA, et TOTAPER JIOVINAM, *per totam juventutem*, ut et Bourguettius interpretatur. *Juventus* in vetustis inscriptionibus saepe nominatur, quae ordinem quendam habuit post Patres sive Decuriones, et in sacris faciendis atque in publicis officiis locum habuit.

25. TREFIPER: JIVVINA: TIVLV: SEVAKNI: TEITV:
alumnam per *Juventutem.* *produc* *tua necessaria* *alimenta.*

TREFIPER: *Per* praepositio postponitur, hinc TREFIPER, *per alumnam*, à verbo τρέφω, *nutrio.* In tabulis Eugubinis Pelasgice scriptis frequenter occurrit OCRIPER FISIU, hoc est, *perclamarunt.*

JIVVINA: ut supra in vers. 24. hinc Latinis *juventa*, *juventus*, *juvenis.* Nos quoque Itali *gioventù*, *giovine*, *giovane.* Omnes aetatum ordines ita complexus est etiam Psaltes 198. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.

TIVLV: d est V consonans cum aspero sono, quasi F. gr. τίφη, τίφος, *frumentum*; vel etiam composita vox ex *Ti* et *Vlu.* gr. ὕλη non solum materiam, ligna, silvam, sed etiam alimenta significat. Sed puto esse verbum, à τηλιθάω, *germino*, *floreo.*

SEVAKNI: ut supra vers. 22. SEVAKNE, *tua necessaria.*

TEITV. *alimenta*, quae dat terra, rerum omnium parens. gr. τιθὴ, *nutrix*, τιτθὸς, *mamma*, *alimentum.* Ita vocatur etiam tellus, quod quasi nutrix homines alat et nutriat.

26. INUMEK: VVEM: SEVAKNI: VPETV: PVEMVNE:
ululate *clamate.* *tua necessaria* *summe* *Pastor*

INUMEK: VVEM: SEVAKNI: ut supra dictum ad singula.

VPETU: *summe*, ut in vers. 22. In aris Romanorum perraro occurrit Jupiter cum cognomine *summus*; duas adfert Sponius in Miscell. Sect. 3. p. 71. 72. Eo utitur Virgilius Etruscarum antiquitatum consultissimus.

Pvemu-

PVEMUNE: gr. ποιμὴν, *paſtor.* ποίμνη, *grex ovium.* Reges in ſacris litteris *paſtores* vocantur. Item apud Homerum Iliad. L. 1. ποιμενὴ λαῶν. Deus quoque paſtor dicitur, Pſal. 22. ac 94. In tabula Eugubina Pelasgica Jupiter GRABOVIE, hoc eſt *potentiſſimus* cognominatur ejusque *paſtoralis virga* memoratur.

27.	PUPRIKE:	APENTV:	TIVLV:	SEVAKNI:	NARATV:
	publice	*depulſor*	*produc*	*tuam neceſſariam*	*nardum*

PUPRIKE: Ex hac Etruſca voce Latinis *publice* et *publicus.* Priſcam hujus vocis pronunciationem adhuc ſervant Tuſci ruſtici, qui dicunt *pupprico*, *pufrico* et *pubbrico.* Villanus et Boccaccius habent *piuvico.*

APENTV: ut puto, vocativus caſus, ut VPETU: originem habet ab ἀποπέμπω, de quo ſupra v. 23. Interpretatus ſum *depulſor*, quod cognomen Jovi tribuitur, ut in ara votiva penes Gruterum pag. xx. 3. et in nummis, *propugnator.*

SEVAKNI: ut ſupra verſ. 22.

NARATU: hoc eſt *naradu*, lat. *nardum.* Eadem vox legitur et in votiva tabula Lerpirii: item in tabula Eugubina Pelasgica, quas vertit Bourguettius. Jovi potentiſſimo nardus fruticum odoroſiſſima commendatur, quia in ſacris adhibebatur et offerebatur in altari cum aliis donis, adipe, tritico, cum placentis frumentaceis frixis et cum primitiis frugum, uti ex eadem tabula colligitur. Dubium eſt, utrum fruticem nardum, de quo Plinius L. 12. c. 12. et L. 16. c. 32. an vero unguentum nardinum intelligere debeamus, de quo idem Plinius L. 13. c. 1. Unguenta Diis donabantur, iisdemque ſimulacra eorum inungebantur. Puto tamen potius indicari nardum herbam, quae ſiccitate exaruerat; cujus everſio Jovi proponitur, ut facilius ad miſericordiam excitetur. Herbae et frutices in Etruſcis vaſculis circa Deos et ſub pedibus eorum velut enati, ſaepe picti viſuntur.

28.	JVKA:	MERSVVA:	VVIKVM:	THAFETV:	FRATRVSPER:
	heu	*diſperſum*	*officium*	*vide*	*per Fratres*

JVKA: gr. ἰοὺ, *hei, heu.* ἰύγη, *ululatus.* ἰύζω, lamentor.

MERSUVA. à μερίζω, *diſperdo, divido.*

VVIKVM. Etruſci V pro O utuntur, et 𐌇 tanquam F pronuntiabant; quare VVIKUM qu. *uficum.* Latini ex Etruſcis fecere *officium.* Nos *ufficio et officio.* In threnis Jeremiae c. 4. 2. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii*, hoc eſt *Sacerdotes.* Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea!

THAFETV: à gr. θήπω, *ſpecto, admiror cum ſtupore.* In threnis Jeremiae: vide Domine et conſidera; intuere et reſpice. Item: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite et videte.

29.	ATHERIE:	ATHTISPER:	EIKVASATIS:	TUTAPER:
	Sacerdotes	*per patres*	*adparentes*	*per totam*

ATHERIE: ATHTISPER. ut ſupra in verſ. 23. et 24.

 Eikva

EIKVASATIS: compositum videtur ex εἴκω, *cedo*, vel ex adverbio εἰκότως, *similiter* et φαίνω, *adpareo*, quia Sacerdotes templi sacris adparebant in unum, et per suas vices: φάσις, *adparitio*, ut adparitio lunae. *Phase* hebraeis est *transitus*.

30. JIVVINA:	TREFIPER:	JIVVINA:	SAKRE:
juventam	*per alumnam*	*juventam*	*sacram*.

Singulae voces superius illustratae sunt.

31. VATRA:	FERINE:	FEITV:	ERVKV:	ARVVIA:	FEITV:	VVEM:
vivifica	*armentorum*	*foetus*	*desolatos*	*arvorum*	*foetus*.	*clamate*

VATRA: qu. FATRA, compositum ex φάω, φῶς, φότος, *lux*, et τρέφω, *nutrio*. vertendum videtur vivifica. Lumen pro vita accipitur. φῶτα non solum *lumen*, sed et *virum* significat. Vide Macrob. Saturn. L. 1. c. 7. In vetusto lapide à me edito Par. II. Inscr. ant. Etrur. p. 394. n. 68. *Lumen*. (i. e vitam) *quod*. *acpi*. (accepi) *reddidi*.

FERINE: *armenti*. φέρει ὄνησιν, quod *ferat emolumentum*. Virgil. Aeneid. L. 1. v. 15. *implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae*. Ferae omnes sunt quadrupedes. gr. θήριον, lat. ferina.

FEITV: pro terrae et gregum armentorumque proventu. Hinc Latinis *foetus*. Dicitur, ut etiam ex hac tabula liquet, universim tum de partu animantium, tum inanimantium.

ERUKV: ut supra vers. 12. *erak*. et vers. 14. *eruk*. at hic additur V.

ARVVIA: ut supra vers. 11.

VVEM: ut supra. crebra ad clamandum et vociferandum adhortatio. Jerem. c. 35. vers. 24. *ululate pastores et clamate*.

32. PERAEM:	PELSANU:	FEITV:	EREREK:	TVVA:	TEFRA:
adspira	*matura*	*foetus*	*consolida*	*tuos*	*pauperes*

PERAEM: Compositum ex *per*, pro *valde et* ἄημι flo, spiro. *adspirate*, hoc est *favete*; ut *adspirat primo fortuna labori*. Metaphora desumta à prospere navigantibus, vento favente. Virg. Aen. L. 9. v. 525. *Vos*, *o Calliope*, *precor adspirate canenti*.

PELSANU: forsitan à πέλω, πελάζω, *appropinquare facio*. πέλας, *prope*: *perduc ad finem* h. e. *ad maturitatem fructus*.

EREREK: ut puto, ab ἐρείδω, *firmiter fulcio*, p. ἤρεικα. ἔρα, *stabilimentum*, *consolidatio*; quia ommnes terrae foetus ad optatum finem non perveniebant propter maximam siccitatem.

TVVA: In tabula Pelasgica eadem vox *tuva* occurrit vers. 40. PASE TUVA, hoc est *pace tua*.

Tefra.

TEFRA. verto *pauperes.* Germani noſtra Tuſca lingua utentes, pauperem, ex gallico, vocant *pofre*, pauperculum *pofrette.* In inſcriptione Pelasgica Lerpirii apud Oliverium p. 22. FOVFER. Bourguettius vertit *pauper*; Etruſci TEFVFERA, per ſyncopen et variatis litteris, *Tefra.* gr. τέφρα eſt *cinis.* τεφρύω, *in cinerem redigo*; ad extremam paupertatem declarandam, qua phraſi divini etiam Vates utuntur, Job. 30. v. 19. aſſimilatus ſum favillae et cineri; et ad humilitatem declarandam S. Hieronymus L. 1. Ep. 5. *Ego cinis et favilla.*

33. SPANTIMAR: PRVSEKATV: EREK: PERVME: PVRTVVITV:
penuria laborantes *intuere* *ſolida*; *profer* *frumenti copiam*,

SPANTIMAR: forte à σπανίζω, *penuria laboro.* σπανία, *penuria.* nos hominem penuria rerum laborantem et miſerum dicimus *ſpiantato*; metaphora deſumta ex arborum eradicatione, quae terrae carent alimento.

PRUSEKATU: gr. προσέχω, *animum adverto*, ac proinde *inſpicio*, *conſidero.* Ita et frequenter Deum precantur divini noſtri Prophetae; Jerem. in threnodia: *vide*, *Domine*, *afflictionem meam et conſidera.*

PERUME: Facile P- pro F, ut ſit *ferume*, à φέρω, *profero.* Supra in v. 16. *Ferime.*

PURTUVITU. Vox compoſita ex duabus: altera PVR. gr. πύρος, *frumentum*; ſupra in v. 21. ſcriptum eſt PIR, quae vocales facile commutantur; altera TVVITV, quaſi TVFITV, à τίκτω, pario, creo; eſt etiam τίφη *frumentum.* Noſtrum belle reſpondet, *la portata*; Nempe ſegetum et frugum foetus copiam.

34. SVRVVLA: AR: VEITV: MUMEK: ETRAMA: SPANTI: TVVA: TEFRA:
Sirium ſubtrahe *ab* *fœtibus.* *epulas* (*offeremus*) *trementes.* *omnes* *tuos* *pauperes*

SVRVVLA: Vox compoſita ex SUR et VULA. SUR ut conjicio eſt Sirius, id eſt noxius et peſtilens aeſtus; quia Sirius ſtella in ore canis poſita, quae oritur circa VIII. Kalendas Julii, noxia judicatur, quod exurat omnia et agros ſteriles reddat; atque ita a Virgilio deſcribitur Aeneid. L. 3. v. 137.

Subito cum tabida membris
Corrupto coeli tractu, miſerandaque venit
Arboribusque ſatiſque lues et lethifer annus.
Linguebant dulces animas, aut aegra trahebant
Corpora: tum ſteriles exurere SIRIUS agros:
Arebant herbae et victum ſeges aegra negabat.

Etruſci SUR ſcribunt, graeci σείριος, Pelasgi quoque SURUR, SURURO, ut in aliis tabulis Eugubinis, praeſertim in VI. v. 20. 48. Bourguettius vertit *urentem.* Supereſt VVLA, qu. VFLA, ab ὑφαιρέω, *ſubtraho*, ὑφελοῖσα, Dorice, pro ὑφελοῦσα, *quae ſubtraxit.*

AR: VEITU: VY I∃⊃. ꟼA. facile erratum ꟼA pro ˥4, *ap.* Perſpicuum eſt ⊃ ſonare F. ut ſupra v. 31. ꓘY I∃8.

MUMEK: facile a gr. μῦμα, *edulium ex carnibus et ſanguine*, videlicet *epulas.* Jovi epulae promittuntur Benefico, Averrunco ſeu depulſori extremae calamitatis. Hunc morem ſacras dapes et ſolemne convivium Diis exhibendi, in Italiam invexere Pelasgi et Etruſci;

 quod

quod notant Donatus, Servius et Probus in Virgil. Aeneid. L. 8. de epulo Evandri ad aram maximam Herculis. Livius passim meminit epuli Jovis. Etrusci singulis Idibus Jovi epulum ponebant. Vid. Valer. Maxim. L. 2. C. 1. Lectisternia ponebantur et sellae, in quibus ad epulas invitati Dii sedere et discumbere credebantur. Epulones à Romanis Etruscorum exemplo instituti solemnes indicebant epulas et curabant: Sacerdotes vero, pridie quam epulae celebrarentur, populo denunciabant. Vide Cicer. de Harusp. Resp. c. 10.

ETRAMA: à τρέω, τρέμω, *tremo.* In tabula Pelasgica vers. 2. TREMNU, *tremenda.*

SPANTI: ut supra vers. 33.

TUVA TEFRA: ut superius vers. 32.

35.	PRUSEKATV:	EREK:	ERED LVMA:	PVEMUNE:	PUPRIKE:
	intuere.	*averte*	*averte luem*	*pastor*	*publice.*

PRUSEKATU EREK. EREK, τὸ d pro K et V scriptum est. Idem significat ut paulo ante vers. 33.

LVMA. gr. λύμη, *lues*, *noxa*, *exitium*, *pernicies.*

PUEMUNE PUPRIKE, ut supra vers. 26. et 27. Pastor publice, id est *populorum omnium.*



INDEX



INDEX
RERUM et VERBORUM
MUSAEI ETRUSCI.

Prior numerus paginam denotat; ſecundus ſub lir. t. tabulam aere impream, et tertius ſub lit. f. ejusdem tabulae figuram.

B.

C.

Cupi-

Infe-

L.

M.

N.

O.

P.

Pica,





. Jannus 4 . 5 . Vertumnus . 6 . Pomona . 7 . 8 . . Nortia, ſ. Fortuna, Tuſcorum Dea .
. Ancharia . 11 . 12 . 13 . 14 . Bellona Tuſcorum Dea.

Tab. II



1. 2. *Valentia* 3. 4. 5. 6. 7. *Voltumna, Volumna, Volumnus, Dii proprii Etruscorum.* 8. 9. 10. *Pilumnus et Picumnus Dii Vet. Etruscorum.* item 11. 12. 13 *Ancharia Dea sive Furina*

Tab. III.



1. *Furina. Sive Ancharia Dea.* 2 *Tages.* 3 *Genius Tagetis.* 4. *Bacchetis.*
5. 6. *Byyöe.* 7. 8. *Volturnus.* 9. *Juturna.* 10. *Postumnus.* 11. *Marina bellua.*
12. *Vitumnus.* 13. *Manturna.*




Tab. IV



1. 2. 3. 4. Vacuna Dea multiformis. 5 Deus patrius Etruscorum ignotus. 6. Saturnus. 7. Opis. 8. Iupiter. 9. Iuno Hera. 10. Iuno argiva. 11. Iuno-Curis. 12. Iuno Regina. 13. Iuno Sospita 14. 15. Minerva Etrusca

Tab. V.







1. Juno. Feronia. 2. Juno. 3. Minerva. 4. Minerva. 5. Minerva victrix.
6. Apollo. 7. 8. Apollo. 9. Sol Mithra. 10. 11. Diana



Tab. VI.




1. 2. Diana. 3. Nemesis. 4. Apollo. 5. Aesculapius. 6. 7. Mercurius. 8. 9. 10
11. 12. Mars Camulus. 13. Venus murcia. 14. Venus armata. 15. Venus victrix.



1. *Amor*. 2. 3. 4. *Amor Etruscus*. 5. *Victoria*. 6. *Vesta*. 7. *Ceres*. 8. 9. *Ceres etrusca*. 10. *Ceres*. 11. 11. *Venus murcia*.



Tab. VIII.




*.Bacchus. 2. 3. 4. Bacchi muliebri ſpecie efficti ſigna ex aere. 5. Hebon bacchus cor„
iger. 6. Bacchus conſecratus humidae naturae auctor. 7. Bacchi genius. 8. De„
s cabirus. 9. 10. Priapus etruſcorum muſicus et ſaltator. 11. 12. 13. Priapus et„
uſcorum multiformis.*

Tab. IX.



1.2.3.4. *Priapus etruscorum multiformis*. 5.6.7.8. *Silenus etruscus*. 9. *Pan saltator*. 10.11. *Pan etruscorum deus*. 12.13. *Vitumnus*. 14.15. *Satyra etrusca*.



Tab. X.




1. 2. 3. *Pan*. 4. *Erato*. 5. *Centaurus*. 6. 7. *Fauni*. 8. 9. 10. 11. 12. *Bacchi assectae*.




1. Pan etruscus. 2. Coronus nympha. 3. Dryas nympha. 4. 5. 6. Calliope musarum princeps. 7. Hercules etruscus compeditus. 8. Hercules pomarius. 9. 10. Hercules.





1.2. Dii magni castor, et pollux. 3. Neptunus etruscus. 4. Dii marini. 5.6. Tethys. 7.8.9.10. Tempestas dea.




















1. Dis pater. 2. 3. 4. 5. Proſerpina. 6. Hecate Tuſcorum Dea. 7. Genius animam ad inferos ducens. 8. 9. Libitina dea Tuſcorum.



.Libitina dea tuſcorum. 3. Venus inſera. 4. 5. Parcae. Fata. Furiae. 6. Fu,
is ſacra patera fictilis. 7. Minerua cum genio feciali. 8. Genius publi,
s Etruſcorum. 9. Genius domeſticus Etruſcorum. 10. Genii duo bonus
et malus.









Duae nemeses bona et mala. 3. 4. Gratiae Veneris comites. 5. Venus
nsa. 6. Venus caelestis. 7. 8. 9. Hymenaeus. 10. Atys. 11. Tab. XVI. 2. 3. bonus
ntus.


Tab. XVI.



1. Ganymedes. 2. 3. bonus Euentus. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Dii Etruſcorum ignoti. 10. Echo. 11. Iuno ſeu Venus. 12. Iuno, deae ignotae Etruſcorum. 13. Deus ignotus Etruſcorum.



Tab. XVII.



1. 2. 3. Dii praestites Etruscorum. 4. Deus auerruncus Etruscorum ornatus torque radiato. 5. 6. Dii patrii praestites Etruscorum. 7. 8. 9. Dii indigetes. 10. Deus patrius auerruncus Etruscorum. 11. Heros. 12. Tyrrhenus herculis filius.

Tab. XVIII.



2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Heros etruscus*. 9. 10. *Heros uulneratus in castra re,*
ductus. 11. *Heros etruscus elatus a militibus*.



Heros etruscus forsitan Rhaetus. 2. Heros Etruscus forsitan Aunus. 3. Mi,
uae natiuitas. 4. Minerua cum missis. 5. Actaeonis nex. 6. Herculis
gna cum Acheloo.



Andromedae fatum . 2 . 3 . 4 . Fata Casſandrae et Polynicis .



1. Neptunus laomedontem perſequens. 2. Apri calydonii fabula. 3. Caſtorum ortus. 4. Helenae et Menelai apotheosis. 5. Paridis iudicium.

1.



2.




3.



. *Paridis iudicium. 2. Achilis fata. 3. Postica eiusdem Vasis etrusci.*

1.







2.

1. Pugna graecorum cum Troianis ad portam scaeam. 2. Pa„
troch funus.

1.



2.



3.




1. *Patrocli funus.* 2. 3. *Pugna de patrocli cadauere.*



1. 2. *Amazonum certamina*. 3. 4. *Latera urnae*.

1.



2.



1. 2. Auges et telephi fatum.

1.



1. Hecubae seu Cassandrae fatale connubium. 2. Polyxenae fatum. 3. Heroum pugna.

1



2



3



Polymestor cum filiis ab Hecuba necatus. 2. 3. Vlisses apud Circen potus.



1

2

3




. Circe Ulyssis socium feris obiiciens. 2. Perseus Medusam inter, imens. 3. Elpenoris funiis.

1.



2.



3.



4.



5.




6.



.2. Ulyſſes Sirenas praetervectus. 3. Scylla. 4. Charybdis. 5. Telegonus Ulyſ-ſem patrem ignarus interficiens. 6. Belus fertei gladii inventor.

1.



2.



3.



elegonus Ulyssem patrem ignarus interficiens. 2. Telegonus Ulyss,
n occidens. 3. Orestes et Pyladis expiatio.

1.




2.




3.



1. Orestes et Pylades a furiis agitati. 2. 3. Hippocentaurorum exitialis pugna.







1.



2.



3.





Hippocentauridum exitialis pugna. 2. 3. Hippocentaurides Scyllae comites
eu Tempestatis Deae. 4. 5. Chimaera et Gryps.

1.



2.



3.



4.




5.



6.



7.



2. Draco leaena. 3. 4. 5. 6. 7. Fictilia Etruscorum sepulcra.

1.


2.

3.

4.

5.

2. 3. 4. 5. *Fictilia Etruscorum sepulcra.*







II



I



III



I. II. III. Choreae in Honorem Deorum Satatio Saliorum et Saliarum.



1. Vaſculum Etruſcum In Bibl. Vat. 2. Arbores Diis Sacrae apud Aegypt. et Tuſcos. 3. Aliud uaſculum In Bibl. Vat. Iovis Teſtum et Sacrum.



Altera facies eusdem Vasis Etrusci.



Altera facies eiusdem Vasis Etrusci.

1



4



2



3



5



1. 2. 3. *Sacra Cerealia et Lenaea. Aet. uno IV lat. uno IV et V. 4. 5. Genii Sacrum.*










1. Veneris. et Hymenaei Sacrum. 2. Amoris Sacrum.






1



2



3



1. 2. *Sponsi Carpento ad Sacra ducti.* 3. *Sacris Etruriae initiati. et no. 1. Tab. XLIII.*





1. Sacris etruriae initiati. 2. 3. Sacra Cabiria.

1



2



3



1.2. *Sacra Mithriaco. Solemnis Baptismus Etruscorum* 3. *Sacra Mithriaca igneperacta.*

1



2



3



1. 2. *Sacra Mithriaca fuso sanguine suscepta.* 3. *Sacra Acherontica.*



...ortoné apud Equitem Galeottum de Corazziis. 2. Aenea Casis, Etrusca inscrip-
...ne ualde insignis, apud antiquas Cannos, nunc Conosa in Apulia, Roma-
...xercitus dade celeberinus, reperta olim aseruata in Museo Cl. V. Abatis Petri An-
dreae Andreinii nunc in Mediceo. 3. Ludi Equestris.

1



2




1. *Foedus iunctis dextris ictum.* 2. *Triumphus et ouatio. Etruscorum.*

1 4



2 3



...ronus Mithriacus etruscus. 2. Eiusdem throni Mithriaci etrusci prospectus lae-
...teris superioris. 3. Eiusdem throni prospectus laeui inferioris. 4. Eiusdem
throni prospectus Posticae partis.

1



2



3



4



Omnis Anaglyphi throni Mithriaci etrusci prospectus. 3. 4. Histriones mimi etruscae scenae.



I. Pars antica. V. Pars postica. 1. in Mus. Barber. alt. ped. I. 2. 3. Ludiones Deo-
um personam gerentes. 4. 5. Petiarii et Myrmilionis etrusci pugna.









1. 2. Nuptiae etruſcorum. 3. 4. Tricinia etruſcorum.

1.

Admirand. Rom. Antiq.

2.

l'Abbé Fauvel.

3.


ROTVNDA ARA MARMOREA BACCHI SCENA

admiranda Rom. Antiq.

4.



...phigenia Dianæ immolanda. 2. Dianæ Sacerdos cervum ad Sacrificium ducens.
...et 4. Mysteria Bacchi circa aram rotundam per anaglyphos expressa.



Cineraria Etruscorum marmorea et fictilia: extant in Museo Bucellio Montispolitian.


I EX ÆR
II.
Æ
III EX ÆR.
IV
V
Æ
VI·EX AER.
VII
Æ
VIII Æ
IX.
Æ
X
Æ
XI
Æ


I
II
A
Æ
H
AT
III
Æ
HAT
HAT
IV
Æ
VIII
V
Æ
HAT
VII
Æ
VI. Æ
XII
IX
XI
ÆR
Æ
XI Æ
X Æ
XIV
Æ
XV
XIII



Gemmae caelatae veterum Etruscorum.

LVIII.

Gemmae caelatae veterum Etruscorum. LVIII. Arator etruscus anathema Cereri.

